Edit. I p. 874

VII Fuldenſibus nimium rebus ingerere ſe Ludouicum Haſſiæ Landgrauium ægre ferebat Conradus; Fuldam obſedit, manusque cum illo, ſed parum feliciter, conſeruit *.

*1) Atenim hæc anno MCCCCXXVII contigiſſe, ſupra oſtenſum eſt.

Teſtamentum facit.

2) Sequitur annus, quem in vita vltimum habuit, MCCCCXXXIV. Enimuero, animo tum ipſe præſagiens, breuem ſibi vitæ ſupereſſe vſuram, mox cum ſapienter, tum ſerio de vltimis cogitare cœpit. Mercurii vero poſt ferias Pentecoſtales Eltvillæ vltimæ voluntatis ſuæ edidit tabulas. His ædis metropolitanæ Canonicis *ad præſentias*, quæ dicuntur, vineas in tractu Lorchenſi, obitu *Ioannis Schrammii* de *VValdeck*, feudi caduci titulo, tum vacuas, reliquit, ac in has legauit conditiones; primum, vt ſe viuo quidem, patris ſui matrisque cultum anniuerſarium funebri ritu inſtaurent, eorumque pro ſalute *ſeptimi* ac *triceſimi diei* officia rite celebrent; vita vero cum exceſſerit, tum ſibi cæremonia parentent ſollemni, gratamque quotannis ſui memoriam eodem cultu, iisdemque temporibus agant. Dein, vt ante ædiculam in templi medio, vbi tumuli locum ſibi elegerit, demortuum inferant conditorio. Volebat autem ſarcophagum ſibi parari, cadauereque recondito, locum ſterni aſſeribus. *Auch ſal die Preſencie*, ita in tabulis inquit, *vns ein grab beſtellen mitten in vnſrem Dume vor dem Capelchin vnd Elter, do vvir vnſer begrebde hain gekoren; vnd ſal eynen redelichen ſarcke vff das grabe laſſen havven, vnd den in die erden verſencken, vnd eynen deckel daruff *, den man zu yderzeit, ſo man vnſer iarzyt, ſiebenden vnd driſſigſten begeet, ſal vff thun, vnd vier kertzen daby ſetzen, als andern Erzbiſchoffen vnſern Forfarn ſeligen.*

* *Operterium hocce hodie adhuc conſpicere eſt; quod hic notandum.*

3) Tum vero Vicariis, quos deceſſor Ioannes II recens inſtituerat, liberali conſuluit ſtipendio, vtrique illorum adſignatis XXX puri frumenti modiis. Conſtituit autem, vt hoc deuincti beneficio bis per hebdomadem in ara B. M. V. Miſſæ peragant officium; in ea vero, quæ in medio ſita, quotidie.

corporis forma,

VIII Hominem ait *MS* fuiſſe *corporis forma præſtantem, ſed cuius illecebris indulgentius nonnunquam obſequutus ſit.*

animique virtutibus conſpicuus fuit.

Alii autem non a ſpecie tantum corporis laudant illum, ſed animi etiam virtutibus. *Latomo* dicitur *Princeps lenis & erga amicos benigniſſimus*; aduerſus malos vero ſibique inimicos animi imperterriti; *ein groſsmuthiger, vnſurchtſamer, vnd gantz trotziglicher feind*, vt in manuſcr. *Auguſtinianor.* eſt; qui addit, apud Cæſarem, aliosque Imperii Principes in magna fuiſſe exiſtimatione. *Trithemio* l. d. p. 364 audit *amator Cleri, & ſtudioſus defenſor populi.*

Moritur.

IX Eſt autem a corpore auocatus Eltuillæ anno MCCCCXXXIV, ſabbato poſt cathedram S. Petri, vt ait *MS.* aut die X Iunii, vt vult *MSL* *.

*1) Quin & alii; *Trithemius* chron. Hirſaug. ad h. a. p. 389, *Lerſnerus* chron. Francofurt. l. d. Et recte quidem. Hoc eodem namque die illum obiiſſe, lapidis ſepulcralis prodit inſcriptio, quam inuenies in libello *de Epitaphiis*.

2) Præfuit itaque Archiepiſcopatui *annos fere quindecim*, vt bene *Trithemius* l. d. p. 364 habet; ex quo interpreteris tum *Langium* in chronico Citizenſi p. 883, tum *Dieffenbachium* in catalogo manuſcr.

THEODERICVS.

I

IMperii Pincerna & Dominus in Erbach *, Canonicus metropolitanus †, Bingii fuit ad eccleſiæ Moguntinæ gubernationem aſcitus anno MCCCCXXXIV, in S. Apoſtolorum Petri & Pauli octaua.

ſtirpe Comitum Erpacenſiū fuit ortus,

1) Ortus fuit *Theodericus* familia tam imaginibus, quam meritis maxime illuſtri, *Dominorum* ſcilicet, vt tum vocabantur, vt hodie vero appellantur, *Comitum Erpacenſium:* qui cum Palatinatus ad Rhenum Pincernæ ſint hereditarii, olim *Pincernæ* de *Erpach* ſunt appellati. *Spenerus* operis Heraldici parte ſpeciali lib. II cap. XXIII § XVIII p. 442, *Imhofius* notitiæ Procerum Imperii lib. VIII cap. III § III p. m. 555.

2) Parentes, quibus natus fuit, partemque illuſtriſſimorum Maiorum ſchema, quod appono, ob oculos ſiſtit.

* * * *
* *

Edit. I pag.

haud bene Imperii vocatur Pincerna.

* 3) De cetero, cum Erpacenſes ſeſe quondam *Pincernas* de *Erpach* vocarint, haud adiecto *Imperii* vocabulo; patet vtique, auctorem more loquendi ſcribendique pragmatico hic loci haud vſum, dum Theodericum *Imperii* appellauit *Pincernam.*

Cantor fuit maioris.

† 4) Fuit autem non in Canonicis modo Moguntinis, ſed etiam *Cantoris* metropolitani ſuſtinuit partes, anno MCCCCXXIX in locum *Eberhardi Mônch* de *Roſenberg* ſuffectus. Vid. *Helvvichii* elenchus Nobilitatis eccleſiæ Mogunt. ſect. V p. 227, & *Syllabus plenior* ſectione V p. 333.

Bingæ Archiepiſcopus eligitur.

5) Bingii alioquin electum ac ad Præſulatus Moguntini euectum fuiſſe apicem, teſtatur *Trithemius* in chronico Hirſaugienſi ad an. MCCCCXXXV p. 359, & Sponheimenſi ad eundem annum p. 355.

confirmatur a Pontifice, & pallium accipit.

6) Quum vero probe gnarus eſſet, Pontificis ſibi opus eſſe iudicio atque approbatione, ſimul ac delatos honores iniit, *Ioannem* de *Lyſura*, Decretorum Doctorum, & Collegialis ad ædem B. M. V. *ad gradus* vulgo dictæ Canonicum, Florentiam ad Eugenium miſit Pontificem. Qui, cum de facta electione, electique meritis per *Antonium* S. Marcelli Cardinalem Presbyterum, & *Lucidum* S. Mariæ in Coſmedin Cardinalem Diaconum, vt par erat, edoctus eſſet, eum XIII Kal. Nov. & confirmauit, & Collegio commendauit principi, miſſo ſimul per *Ioannem* legatum, quod Archiepiſcopis donari ſolet, pallio, vt litteræ in codice Diplomatico allatæ docent.

iura item regalia a Cæſare.

7) Similiter ad Cæſarem Poſonium delegauit *Dietherum* de *Iſenburg*, Dominum *in* Büdingen, *Zürch* von *Stetten*, Præfectum Biſchofsheimenſem, & *Petrum Schenck*, iura petitum regalia. Quibus, cum Heri preces, qua par erat, reuerentia expromſiſſent, peræque facilem ſe præbuit Sigiſmundus, petentique beneficia ac commoda ab Imperatoribus tribui ſolita, die XXIII Nouembris, qui Clementi in faſtis ſacer eſt, beneficiario contulit ritu; ſimul autem voluit, vt ſibi Germaniam inuiſuro apud Ratisbonam reuerenter Theodericus occurrat, præſensque iureiurando interpoſito clientis obſequia profiteatur; interim vero coram Treuirenſi fidelitatis dicat ſacramentum. Id enim Legatos Heri nomine præſtare nolebat. Sed audire iuuabit *Sigiſmundum* ipſum. Sic autem ille in aſſignationis formula tum edita: *Doch ſo, vvan vvir — gen dutſchen landen hinuff für Regenſpurg kommen, daz dan der egenante Dieterich — perſonlich zu vns komme, vnd ſolche ſine lehen mit der Banyr von vns entphangen, vnd den aid ſelbs in vnſer hand thun ſoll, als gevvöhnlich iſt.*

in ſacrificio Miſſæ ſui memoriam vult fieri

8) Ipſe interea, vt hoc felicius regimen eccleſiæ ſuæ auſpicaretur, ac deinceps id ipſum hoc maiori illius gereret commodo, in officio Miſſæ ſub finem his verbis Deo ſe commendari voluit; *Et famulum tuum Theodericum, electum Antiſtitem noſtrum, & gregem ſibi commiſſum ab omni aduerſitate cuſtodi.* Cognoſces id ex litteris ad Presbyteros vniuerſæ diœceſis Moguntinæ die XXIX Auguſti datis, quarum in codice Diplomatico dedi apographum.

fœdus init cum Marchione Brädenburgenſi

Othone Palatino.

& ciuitate Vormatia.

9) Securitati vero publicæ hoc magis tuendæ, conſeruandæque fœdus iniit Mergenthemii, die Saturni poſt Simonis & Iudæ memoriam, cum *Friderico* Marchione Brandenburgenſi, Burggrauio Norimbergenſi, & *Othone*, Comite Palatino Rheni, familiæ Mosbacenſis ſatore; quin non longe poſt cum *Ciuitate* etiam *Vormatienſi*, quæ tum in Rhenanis haud vltimi erat nominis. Tabularum enim, quibus id conſignatum fuit, clauſula ſic habet: Datum Heppenheim, feria *Luciæ* Virgini ſacra an. MCCCCXXXIV.

ſacramentū dicit Cæſari

10) Legatis ab aula Cæſarea reuerſis, anno ſequenti MCCCCXXXV Heppenhemii in ſtrada montana Sigiſmundi ad voluntatem conceptis verbis ſacramentum dixit, & fidam Imperio operam ſe nauaturum ſpopondit, *Rabano* Treuirenſi formulam excipiente; præſentibus vero *Diethero* Iſenburgio, Domino *in* Büdingen, *Ioanne* eius filio, Pincerna *Dieterico*, Canonico Wirzburgenſi, *Rabano* de *Liebenſtein*, Canonico Moguntino, *Conrado* Pincerna *de* Erpach, *VViperto* de *Helmſtadt*, Milite, aulæ Præfecto, *Ioanne* de *Erlebach*, Mareſchallo, *Ioanne* de *VVolmershauſen*, Archimagiro, *Diethero*, Camerario *de* Wormatia, dicto de *Dalberg*, *Ioanne* & *VViperto* de *Helmſtadt*, fratribus. Teſtimonio ſint *Rabani* ad Sigiſmundum litteræ in codice Diplomatico allatæ: *Alſo — hat der obgenante Herr Dieterich vff hut dato dis briefs mir an Vvver ſtatt gelobt, vnd ſolche aid vff das H. Evangel. liplich zu den Heiligen geſchvvoren, nach inhalt der formen, als mir die Vvv. Kayſ. Gnade in iren briefen verſchloſſen geſant hat —*

II Huius tempore miſſi fuerunt a Baſileenſi concilio, qui Moguntini cleri, populique diſſidia componerent, & feliciter compoſuerunt, Maulbrunenſis Abbas *Ioannes*, Cameræ auditor *Ioannes* de *Polemar*, S. Florini Confluentiæ Præpoſitus *Ioannes* a *Lins.* 875

diſſidium Moguntinēſe componitur.

1) Conuerterunt autem ea ad pacem, amicitiamque, facta anno hoc MCCCCXXXV, feria poſt Epiphaniam dominicam prima, duplici conuentione *; Theoderico, qui non ſecus ac deceſſor Conradus, omnem hanc ad rem operam contulerat, haud mediocrem animo voluptatem hinc capiente. Maiori ſigilla non ſolum appendere miſſi a concilio Legati, *Ioannes* Abbas Maulbrunnenſis, *Ioannes* de *Polemar*, Rotæ Romanæ Auditor & Archidiaconus Barcinonenſis, & *Tilmannus Iobel* de *Lins*, S. Florini apud Confluentes Præpoſitus, verum etiam *Ioannes* Comes *de* Cazenelnbogen, *Reinhardus* Comes *de* Hanau, *Godefridus* Dominus *de* Eppenſtein, nec non Ciuitates *Vormatia*, *Spira*, & *Francofurtum.*

Mino-

Edit. I p. 875 Minori vero Legati tantum & Ciuitas *Moguntia.*

* *De capitibus illarum alibi dabitur occasio agendi.*

Regensteinio Theodericus se hostem profitetur.

2) Non longe post iniurias, quas *Vlricus*, Comes *de* Regenstein, Moguntinæ Sedi subditis in tractu Hirzbergensi intulerat, vindicaturus, transmissis eidem litteris denuntiauit inimicitias. Datæ erant Steinhemii, die Mercurii, post D. Valentini sollemne.

cum vidua Palatina & Mosbacensi fœdus pangit.

3) Cum *Mechtilde* dein Sabauda, *Ludouici* Barbati vidua, & *Othone* Mosbacensi, Ludouici iunioris, Palatinatus Rhenani heredis, tutore, societatis & auxilii mutui fœdus ad sex contraxit annos. Tabulas Hemspachii dominica festum Corporis Christi subsecuta confectas, sigillis consignarunt *Emicho* Comes Leiningensis, *Michael* Comes Wertheimensis, *Reinhartus* de *Sickingen*, vulgo *Niger (Schwartz Reinhart)* dictus, *Eberhardus* de *Neiperg*, *Bernhardus Kreyss* de *Lindenfels*, *VVernherus VVinther* de *Alzey*, Milites.

De dissidio inter Wirzburgensem & Wertheimensem componendo laborat.

4) Posthæc sedandæ *Ioannem* Episcopum Wirtzburgensem inter & *Albertum* Comitem Wertheimensem, Episcopatus Curatorem, controuersiæ admouit vigilias. Quippe Kitzingam profectus, omni, qua pollebat, ingenii sollertia modum illi imponere studebat. Memorant id Episcopi Traiectensis litteræ, Norimbergæ profesto Michaelis Archangeli ad *Ludouicum*, Patriarcham Aquilegiensem, & *Ioannem*, Episcopum Lubecensem, scriptæ, quas *Frisius* in chronico Wirtzburgensi cap. XCIII in *Ioanne II* p. 746 attulit, e latino in germanicum conuersas sermonem.

item de alio inter Rabanum Spirensem & Vlricum Manderscheidiũ.

5) Tum vero omni contendebat studio, vt archidiœcesin Treuirensem, quæ aliquot iam annos, *Rabano*, Antistite Spirensi, & *Vdalrico Manderscheidio* de tiara certantibus, fœdis populationum atque omnis hostilis sæuitiæ exemplis miserandum in modum deformabatur, vltimo eriperet exitio. Accesserant *Theodericus* Colonensis, & *Fridericus* Vormatiensis, iunctis rem consiliis ad æquitatem & concordiam reducere conantes. In quos cum tandem vtraque pars compromisisset, Eugenio Pontifici IV, missis Florentiam Legatis *Tilemanno* de *Lins*, Confluentiæ ad S. Florinum Præposito (de quo supra) & *Rudolfo* de *Rüdisheim*, Canonico Vormatiensi, negotium omne expossuere. Qui cum annuisset, sub finem anni ad causam quantocius discutiendam nouem legere viros, clarissimis partim ortos familiis, partim rerum vsu, auctoritateque quam maxime spectatos, *Fridericum* videlicet de *Crove*, Collegio principi, quod Treuiris est, magna tum cum laude Præpositum, *Christianum* de *Erpel*, Iuris ciuilis Doctorem, *Dietericum* de *Knebel*, Canonicum Moguntinum, *Ludouicum* von *Ast*, I. V. D. *Othonem* de *Stein*, Iuris Canonici Doctorem, *VVipertum* de *Helmstadt*, Militem, *Nicolaum Cusanum (Clas Cus)* Iuris Pontificii Doctorem, *Henricum* de *Fleckenstein*, & *Ioannem Boos* de *VValdeck*, seniorem; maturis quorum consiliis, singularique studio ac sollertia anno sequenti MCCCCXXXVI agitatæ quinquennis discordiæ iræ auspicato positæ fuerunt.

quod & sublatum.

6) Tulerunt autem ad S. Goarem, die Mercurii D. Agathæ memoriam secuta, sententiam hunc in modum; Vlricus Rabano cedat, & duobus florenorum millibus, pro sumtu annuo, quoad viueret, nec non castro *Stoltzenfels* cum valle subiecta, pro habitatione, conrentus sit; Rabanus vero Archiepiscopatum quiete in posterum teneat. Quam arbitri supra dicti, Theodericus noster, Colonensis, & Vormatiensis, dein Rensæ peruigilio *Palmarum* & confirmarunt, & promulgarunt, Rabano archidiœcesin cum omni iure, Manderscheidio Stolzenfelsam cum locis contributis ac duo florenorum millia singulis, quoad in viuis fuerit, annis de vectigali in Engers capienda, adsignantes.

7) Quibus peractis *VVilhelmum*, Comitem *de* Wied, quem pridie natalitiarum Domini feriarum diœcesi Treuirensi summum Præfectum dederant, die Mercurii sollemne D. Walpurgis subsequente, ab muneris demandati procuratione reuocarunt. Hæc aliquanto fusius, cum *Brouverus* in annalibus hic iusto sit breuior.

rumore quodam falso differtur.

8) Hæc inter percrebuerat, ac si Colonensis quendam spe pretioque sollicitarit ad petendum veneno Ludouicum Landgrauium Hassiæ; Theodericus vero rei huius fuerit conscius. Quo cum ipse maximam sibi iniuriam fieri, nec iniuria, existimaret, vt suspicionem istam ab se remoueret, nil fecit reliqui. Docent id litteræ tum Colonensis, tum Landgrauii, quas in codice dedi Diplomatico.

cum Palatino dissidet & componitur.

9) Non ita longe post aliquot ipse de causis cum *Ludouico* Comite Palatino ad Rhenum dissidere cœpit. Enimuero, quod togæ amantior esset, quam belli, facile annuit, vt litis finiendæ legerentur arbitri. Fuere ii *Fridericus* Antistes Vormatiensis, & *Dietherus* Isenburgius, Dominus Büdingæ; quibus ipse adiunxit *VVipertum* de *Helmstadt*, aulæ Præfectum; Ludouicus vero *Dietherum Kemerer*, Scultetum Oppenheimensem. Acta hæc Hemspachii Veneris post diem vinculorum Petri memoria celebrem.

duo fœdera.

10) Mox paullo res suas nouis firmauit fœderibus. Quorum quidem vnum pepigit cum *Friderico* Placido, Landgrauio Thuringiæ & Marchione Misniæ, Friderici *Bellicosi*, qui dignitatem Septemuiralem domui suæ intulerat, filio, validis Principe viribus. Pactionis, quæ extant, tabulæ docent, eos inter conuenisse Steinhemii, Veneris post diem Virginis Deiparæ nascenti dicatum. Alterum iniit cum *Ernesto* & *Eilgero*, Comitibus Hohensteiniis, Dominis Lahræ & Clettenbergæ, idque in tres annos Steinhemii die Archangelo Michaeli festo.

Duderstadii nouam instituit parochialem.

11) Dudèrstadii tum nonnisi vnica erat parochialis. Ea cum tantæ multitudini, quæ, festis præcipue diebus, ad diuina officia conuenire solebat, capiendæ haud amplius sufficeret, tum vero sita esset in loco maxime inopportuno, angulo scilicet oppidi, ipse cultui sacro, vt par erat, augendo sacellum *S. Seruatii*,

quod in inferiore oppidi parte erat, anno sequenti MCCCCXXXVII incunte in parochialem extulit, certisque finibus circumscripsit, vt codicem Diplomaticum consulenti patebit.

Indulgētias concilii Basileensis dispensaturos reuerenter recipi mandat.

12) Ceterum Basileensis concilii Patres leuamento pœnarum, quæ piaculis debentur, largas peccatorum condonationes singulis ac omnibus indulserant, qui pro felici sperataque Græcorum ad ecclesiam Romanam reductione pias ad Deum preces verterent, votaque: constitutis, qui per ciuitatem ac diœcesim Moguntinam eas dispensarent, erogarentque, *Petro Echter*, Collegii maioris Decano, & *Alberto* Schenck *de* Limpurg, ad ædem summam Canonico. Theodericus itaque, cum tanti, vt loquitur, boni particeps fieri impense desideraret, tum vero nil magis haberet in votis, quam vt quantocius ad dictæ gremium ecclesiæ redirent tot populi, omnibus diœcesis suæ Abbatibus, Præpositis, Decanis, Prioribus, Parochis, ceterisque Clericis, singulis ac omnibus, serio mandauit, vt tam salubris negotii intuitu, istos, vel quos nomine suo delegarint, vbiuis locorum reuerenter excipiant, admittantque: vti quidem plenius cognoscere est ex litteris die VI Martii ad eos datis, quas in codice protuli modo dicto.

Michaeli Comiti Wertheimensi,

13) Ab his ad bellicas se conuertit curas. A multis enim iam annis *Michael*, Comes Wertheimensis, filii Alberti secutus partes, Ioanni Episcopo Herbipolensi multum exhibuerat molestiæ: quin ira percitus tam præcipitia tandem egerat consilia, vt de laqueo ei nectendo, Vffenheimique iniiciendo cogitaret, Vid. *Friseus* l. d. cap. CIX p. 759. Et quamuis filii, *Albertus*, *Ioannes*, & *Georgius*, Kitzingæ festo Pentecostes cum Ioanne rediissent in gratiam, ipse tamen omnes amicæ compositionis respuebat conditiones. *Idem* l. d. cap. CX p. 760. Visum itaque Principibus vicinis, aliisque, armis compescere tam inconsultam hominis audaciam. Hoc fine delectum, vbi conuenirent, Bischofshemium, Moguntinæ ditionis oppidum ad Tubarim. Ibi cum essent, *Theodericus*, *Ioannes* Wirzburgensis, *Fridericus* Marchio Brandenburgicus, *Conradus* Dynasta Winspergensis, & *Crato* Hohenloicus collatis die D. Georgio in fastis sacrata sententiis censuere, castrum *Schweinsberg*, Michaeli obnoxium, armis subigendum. Cum vero Michael ad id vsque temporis in Consiliariorum Moguntinensium haberetur numero, Theodericus litteris, Aschaffenburgi die honori decem millium Equitum dicato scriptis, istam ei dignitatem abrogauit, & hostilibus dein ipsi denuntiatis, proximis post Ioannis Baptistæ memoriam diebus, vna cum ceteris, Schweinsbergam tanta vi oppugnauit, vt vndecimo post die se dederet. *Idem* l. d.

habita cum aliis deliberatione,

bellum infert.

Horneckios compescit.

14) Postea, cum Mergenthemii Veneris, quæ D. Martini sollemne secuta erat, cum *Ioanne* Herbipolensi, *Friderico* Electore, eiusque filiis *Ioanne*, *Friderico*, & *Alberto*, Marchionibus Brandenburgicis, & *Othone* Mosbacensi arctam pace belloque in XX annos societatem iniisset, *Horneckios* de *Hornberg*, qui Iaxtbergæ se continebant, & diœcesis Moguntinæ, Burggrauiatus Norimbergensis, aliorumque in vicinia agrum passim populando peragrabant, eodem modo compescuit. *Horneckio* enim seniori, eiusque filiis *Horneckio* & *Simoni* Lunæ post diem Deiparæ in vtero conceptæ sacrum hostem se professus est. Quo facto *Iaxtberga* obsessa, ac dominica post D. Thomæ celebritatem proxima ad deditionem subacta. Conf. *Friseus* l. d c. CXIV p. 761.

Edit. I p. 875

monasterio S. Maximini parochiã Svvabenheim attribuit.

15) Inde monasterii *S. Maximini* iuxta muros Treuirenses consuluit rebus. Id namque, cum olim amplissimis instructum fuisset opibus, bonisque, ita tum bellis aliisque casibus exinanitum erat, vt alendis condigne Abbati atque cœnobitis haud amplius par esset. Benefaciendi præsto erat materies. Occurrebat enim in diœcesi Moguntinensi parœcia, cuius patroni & collatores, vt vulgo vocant, erant Abbas & D. Maximini fratres, *Svvabenheim* appellata. Hanc igitur Theodericus iis vna cum omnis concessione prouentus in perpetuum attribuit, ac diplomate, Aschaffenburgi die IV mensis Decembris confecto, adunauit.

a PP. concilii iubetur in factum quoddam inquirere.

16) Hæc inter prædones, quorum his temporibus & magna multitudo erat, & effusa omnia vastandi licentia, monasterii Seligenstadensis villas agrosque populabundi incurrerant, raptuque pecorum, flammaque tam cœnobitis quam colonis multum intulerant damni. Quod *Cuno* Abbas vindicaturus, suos exciuit; qui sacrilegos istos raptores, tempus opportunum nacti, inuaserunt, duos illorum gladiis iugularunt, duos suspenderunt, plures vero vulnerarunt. Quod cum ipso præsente, quamuis haud adminiculante, fecissent, anxius ille erat animi, & incertus, an non *irregularitatis*, vt vocant, contraxisset notam, atque adeo Patrum Concilii gratiam implorabat. Qui statui illius prouisuri, his, quas in codice Diplomatico dedi, litteris ipsis Idib. Decembr. Theodorico id dederunt negotii, vt diligenter in factum inquireret, & comperto, ita esse, vt Cuno retulerit, auctoritate Archiepiscopali curaret, vt *monasterio* ille *suo praesse*, *& in susceptis ordinibus libere & licitè ministrare* possit.

Suffraganeos suos ad synodum euocat.

17) Tum temporis autem res Germaniæ publica, Sigismundo Imperatore die IX Decembris vita defuncto, capite destituta erat; res Christiana vero, haud leuibus inter Eugenium Pontificem & Basileensis concilii Patres interpositis offensis graue adierat periculum ac discrimen. Mense igitur Februario anni, qui sequebatur, MCCCCXXXVIII Suffraganeos suos Moguntiam ad diem dominicam, qua in ecclesia *Iudica* cantatur, vocauit, vt maturo iiscum dispiceret consilio, quid maxime in turbis hisce ecclesiasticis ecclesiis Germanicis expediret. Fidem facient tabulæ, quas XXI dicti mensis die ad eos, aliæ item, quas die VII Aprilis ad Augustanum, Argentoratensem, Curiensem, & Hildeshemensem dedit, in codice nostro allatæ.

Francofurti duas procu-

18) Post Francofurtum concessit, quo Principes Electores conuocauerat. Hæc inter autem

rat conuentiones.

tem difficultatibus rei Christianæ probe perpensis, ante omnia consultum ducebat, quod & ceteris Septemuiris visum, alteri parti aduersus alteram nullo fauendum modo; contra vero omnibus contendendum viribus, vt dissidium hocce, quamprimum fieri possit, tollatur. Conuentio, quam tum fecere (*Vnionem* vocabant, siue *Churfürsten-Verein*) *Instrumentum* itidem, vti appellabant, *vvegen der Churfürstlichen Neutralität*, die XVII Martii in litteras missa, legi possunt apud *Müllerum* parte I des Reichstags-Theatri sub Friderico III cap. IV § VIII & IX p. 30 & seq.

PP. concilii, ne contra Eugenium procedant, rogat.

19) Præterea censuit, Patres Concilii rogandos, vt *quoscunque processus atque edicta contra & aduersus Eugenium instituendos & instituenda ad tempus* suspenderent, ne difficiliorem in statum res ecclesiæ coniicerentur. Idem cum existimarent ceteri, datæ ad eos eodem die, quarum summam recitaui, litteræ.

Albertum Austriacum Cæsarem designat.

20) Dein die sequenti, qui XVIII Martii erat, vna cum reliquis voluntate *Albertum* Austriacum, Hungariæ & Boiemiæ Regem, Cæsarem designauit. Quod etsi notum sit, ac vel ex ipso electionis, vt appellatur, instrumento apud *Müllerum* l. d. cap. I § II p. 2 pateat, haud tamen, vti reor, superuacuum erit, ex Actis ipsis sequentem huc apponere narrationem. *In dominica* Reminiscere *intrauerunt omnes Principes Electores Francofurtum. In die Lune immediate sequenti Archiepiscopus Moguntinus disposuerat Missam* de Spiritu S. *in ortu solis, hoc ipsum omnibus aliis Coelectoribus suis insinuans. Missa finita intrauerunt Principes sacristiam, & inibi coram Notario ex certis causis, animum eorum mouentibus, continuarunt actum electionis vsque in diem ad hoc magis congruentem.*

In veniente die Mercurii iterum fecerunt Missam decantari de B. Virgine, *& post eandem omnes ad altare summum accesserunt, & iurauerunt, prout pronunciatum erat per D. Archiepiscopum Mogunt. qui iuramentum detulit, & dixit iuxta normam Caroline, & ex causis arduis iterum electionem vsque in diem Martis proximum differentes.*

Quo adueniente, audita Missa intrauit D. Archiepiscopus Mogunt. sacristiam cum duobus Suffraganeis suis, videlicet Herbipolensi & VVormaciensi, cum nonnullis suis Nobilibus, & duobus Notariis, & inibi presedit, fecitque intrare D. Archiepiscopum Treuirensem; quo accedente, vota ipsius perscrutatus, dicens Domino Treuirensi; Superest eligere Regem Romanorum; in quem igitur vultis dirigere vota vestra? *qui protinus respondit;* In Dominum Ducem Austrie. *Pariformiter & secundum ordinem perscrutatus est vota aliorum; demum & omnes collectim ipsum D. Archiepiscopum Mogunt. accedendo, in dicta sacristia vota sua perquisiuerunt; cum quibus concurrendo, respondit de Duce supradicto* —

litteras ad ipsum dant Septemuiri

21) Electione peracta, Septemuiri decretos honores Alberto per Legatos detulere, simul rogantes, vt eos haud recusare, cetera vero vnicuique, quæ priuilegia sibi peperissent, confirmare vellet. Delatos Albertus accepit *; libertates vero illorum ac priuilegia se datis diplomatis stabiliturum pollicitus est, simulac sigillum Maiestatis, quo signanda sint, exsculptum esset. Speciatim id Theoderico litteris Viennæ Martis ante Philippi & Iacobi Apostolorum memoriam scriptis promisit. Id enim sigillatim is rogauerat.

* **Occurrerunt nobis litteræ, quibus Imperium his acceptauit verbis:** *Ego* **Albertus,** *Hungarie, Dalmatie, Croatie Rex, & Bohemie Electus, Dux Austrie, Stirie, Karniolis, Marchio Morauie, & Comes Tirolis, in nomine sancte & individue Trinitatis, gloriosissime Virginis Marie, beatissimique Georgii militis Christi & martyris, & totius celestis curie, ad laudem Dei omnipotentis, sancte matris ecclesie protectionem, exaltationem sacri Imperii, & infidelium barbarorum oppressionem, & commune bonum totius christianitatis, electionem Illustrium S. R. I. Electorum factam de persona mea ad ipsius Imperii sacri culmen vigore presentis decreti michi presentatam, accepto, approbo & collaudo, illiquè tanquam humilis Dei seruus & ecclesie fidelis filius, in pia Dei clementia, & prefatorum Electorum subsidio & assistencia confisus, purum presto assensum pariter & consensum, cupiens omnibus, quibus possum, melioribus iure, forma, atque causa, ex hac sancta & canonica electione S. Imperii suscipere gubernacula, cum administracione plena, absoluta, atque libera, & potestatis plenitudine iurisdictionem cohercicionem atque imperium, & eorundem exercicium acquirere in subiectos sacri Imperii & orbis vniuersi, cum omnibus & singulis eiusdem Romani Imperii iuribus, hominibus, preeminenciis, immunitatibus, priuilegiis, & libertatibus, quibus gaudere, potiri, & vti consueuerunt, potuerunt, atque debuerunt omnes & singuli retroacti Domini Romani Principes, Imperatores, & Reges, prestante Domino nostro Iesu Christo, qui est in secula benedictus, Amen.*

22) Litteras insuper dedere tum ad *Eugenium* Pontificem, tum Imperatorem Græcorum *Ioannem*. Illis Papæ suum de graui schismate tollendo tum desiderium testabantur, tum studium: istis haud obscure indicabant, quid hoc rerum metuerent statu. Cum haud adeo facile sint obuiæ, nemo mihi vitio vertat, quod integras proferam.

ad Eugeniũ item,

Post humillimam recommendationem, deuotissima pedum oscula beatorum, Sanctissime Pater ac Clementissime Domine. Cordi nobis semper fuit, quibus remediis, quibusue viis differencie materia inter S. V. ex vna, nec non sacrum Basiliense concilium partibus ex altera, nuper, quod non sine graui nostrarum mencium amaritudine referimus, suborta e medio queat amputari; idcirco nobis circa electionem ecclesie Aduocati, Romanorum Regis, diuina fauente clemencia in Cæsarem procreandi, in presenciarum occupatis, hanc sollicitudinem permaximam eciam recensuimus, quo offendiculum precindatur totius christianitatis, & quo seminari possit semen optate quietis. Eapropter per Egregios Viros, presencium latores, nostrosque Oratores ad vestre recurrimus pedes Sanctitatis, humiliter supplicantes, quatenus ipsis nostris Oratoribus in perorandis nostri pro parte ad presens fidem dignetur S. V. impendere creditiuam,

uam, adeo in re tam graui veſtre benignitatis brachium extenſuri, vt confiſi de veſtra ſolita benignitate vnitas in eccleſia remaneat vniuerſali, ad laudem Dei, & non modicum Apoſtolice ſedis decorem. Dat. Franckfordie die XIX menſis Marcii, anno Domini MCCCCXXXVIII.

& Grecorum Imperatorem.

Inuictiſſime Princeps & Præſtantiſſime Domine. Pridie ad noſtram veridico ſermone deductum extitit audienciam, ad locum Ferrarienſem, in quem Sanctiſſimus Dominus noſter Papa Eugenius concilium Baſilienſe dicitur tranſtuliſſe, Veſtram Serenitatem applicuiſſe. Et quoniam, vt ex oracione nobis tam pro parte eiuſdem Domini noſtri, quam eciam Patrum in ſacra ſynodo Baſilienſi congregatorum nobis facta coniicere poteramus, nil aliud his in rebus accelerari videri, niſi, quod haud ſine graui mencium noſtrarum amaritudine referimus, graue ſciſmatis diſſidium, orthodoxe fidei cultoribus enormiter preiudicaturum; quod vt zelatores vnionis in eccleſia Dei, quantum cum nobis eſt, preuenire ſatagentes, hinc ſumpta occaſione ad veſtram per preſentes noſtros Oratores recurrimus Celſitudinem, affectuoſe rogantes, quatenus predictis Oratoribus noſtris noſtri pro parte in preſenciarum in perorandis fidem accommodare velitis creditiuam, ipſis conſiliis & fauoribus veſtris in re tam graui aſſiſtere adeo votiuis, prout vnitatem diligitis in eccleſia vniuerſali, & nos de veſtra preclariſſima Magnificentia confidenciam recepimus ſingularem. Datum Franckfordie die XIX menſis Marcii anno Domini MCCCCXXXVIII.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino IOHANNI, *Romeorum Imperatori, Domino noſtro preſtantiſſimo.*

23) Vtraſque perferendas commiſere Oratoribus ſuis, ad Curiam deſtinatis. Quos inter cum *Ioannes* de *Lyſura* eſſet, B. M. V. *ad gradus* vulgo dictæ Canonicus, isque tempus reſidendi ſecundum Capituli ſtatuta nondum Moguntiæ impleuiſſet, Theodericus Collegium eccleſiæ iſtius litteris Aſchaffenburgi die XXVII Martii datis compellauit, omnique requiſiuit ſtudio, nolint committere, vt reſidentiæ iam factæ tempus ille perdat ꝯ quin hanc ei faciant gratiam, vt id, cum reuerſus eſſet, continuare poſſit.

v. cod. Diplomat.

de pace publica tuenda in ſocietate coeunt.

24) Pacis publicæ vero cum non minorem illi, quam rerum aliarum rationem haberent, eius tuendæ firmandæque curam, fœdere ibidem Veneris poſt dominicam *Oculi* dictam propterea facto, in ſe ſuſcepere. Cuius capita ſi cognoſcere cupis, codicem euoluas Diplomaticum. Ibi namque formulam de ea tum in litteras miſſam inuenies.

Hinc Theodericus ſynodum celebrat.

25) Hæc inter aduenerat tempus, quo Moguntiæ cum Suffraganeis ſuis de præſenti eccleſiæ ſtatu deliberare decreuerat. Penſi igitur habuit, vt cum Legatis, qui a plurimis illorum miſſi erant, quid expediret, pertractaret atque concluderet. Viſum autem fuit, inhærere iis, quæ Francofurti Principes Electores proquido conſtituiſſent conſilio. Quæ proin Auguſtano, Argentoratenſi, Curienſi, & Hildesheimenſi, qui diem dictum haud obierant, transmittebat, litteris Aſchaffenburgi die Aprilis VII datis monens eos ac obſecrans, vt ſecundum ea haud grauate ſe componant, ac omnes diœceſium ſuarum Clericos, Ordinesque, vt idem faciant, hortentur iuxta vrgeantque. Edit. I p. 875

Eodem die ea quoque cum Abbatibus, Præpoſitis, aliisque eccleſiarum diœceſis Moguntinæ Rectoribus communicauit, ſingulos ac omnes obteſtatus, vt hæc ipſa, quæ Principes Electores concluſiſſent, ante oculos habeant, obſeruentque. Litteris, quas hac fini tum ad hos, tum illos dedit, locus eſt in codice Diplomatico.

Ruſchenbergenſi parœcia ius patronatus Hadelsdorffenſis,

26) A publicis his ad priuatas eccleſiarum res tranſgreſſus, & *Ruſchenbergenſi* & *Eckſtettenſi* conſuluit parœciæ. Illi *Ioannes*, Comes Ziegenhainenſis & Niddanus, ius patronatus eccleſiæ *Hadelsdorffenſis* donarat, ac vi teſtamenti ſui in perpetuum transſcripſerat. Quod cum ſibi, ſuisque ſucceſſoribus confirmari peterent Parochus ac Vicarius, quem vulgo *Altariſtam* vocant, Ruſchenbergenſes, annuit Theodericus, & amplo diplomate die XXVI Iul. Gernsheimii confecto, eccleſiæ id Ruſchenbergenſi ſtabiliuit. Iſti, *Eckſtettenſi*, cum a pluribus annis ob cenſuum tenuitatem proprio deſtitueretur Paſtore, *Fridericus* Landgrauius Thuringiæ ac Marchio Miſniæ, ad preces *Berchtoldi Vizthum*, altare SS. Andreæ, Georgii, & Mariæ Magdalenæ in caſtro Eckſtett dicatum, cuius patronus erat, ac collator, vna cum prouentu, ceterisque in ribus omnibus liberaliter contulerat, *Vizthumius* vero, vt id ſua Theodericus auctoritate ratum eſſe velit, petebat. Quare *Hermanno* de *Buchenau*, Ordin. D. Benedicti, curiæ Archiepiſcopalis Erfurtenſis Prouiſori, in mandatis dedit, vt diligenter in rem inquireret, & ſi repererit, omnia ita ſe habere, vt dictum ſit, altare iſtud caſtri eccleſiæ parochiali cum omni cenſu fructuque adunet. Litteræ, quibus id iubet, datæ HôchſtI die XXVIII menſis Auguſti.

Eckſtettenſi altare in caſtro Eckſtett ſtabilit.

monaſterio Rodenkirchenſi parœciam Waldleybersheim confert.

27) Monaſterio vero, quod prope *Kirchemium* olim erat, *Rodenkirchenſi*, temporum iniuria in magna tum egeſtate verſanti, parochialem *VValdleybershemenſem*, cum omni vectigali ac iure, eorum, quorum intererat *, conſenſu accedente, die dicti modo menſis Auguſti XXX attribuit ac in perpetuum addixit.

* Quinam illi fuerint, diſcere eſt ex his diplomatis cœnobio tum dati verbis; *Accedente ad hoc conſenſu & aſſenſu Magnifici Principis Ducis* Stephani *de* Bauaria, C. P. Rhem, *ac* Nobilium *de* Schonenburg —— *nec non noſtra voluntate, cuius quidem collatio & prouiſio —— ad prædictos & nos ratione directi & vtilis dominii in Kircheim pertinuiſſe dinoſcitur* &c.

Thungio bellum indicit.

28) Poſt paullo *Ioannis*, Epiſcopi Herbipolenſis, ſecutus partes, *Carolo* de *Thüngen* denuntiauit inimicitias. Ei namque Ioannes duplici de cauſſa bellum inferre decreuerat. Vna quidem erat, vt iniurias, quibus a multis

Edit. I p. 875

tis iam annis a Thüngiorum gente affectus erat, vlciſceretur: altera, vt poſſeſſiones *Eberhardi* & *Engelhardi* Thüngiorum, fori prouincialis ſententia ſibi adiudicatas, ſuæ faceret poteſtatis. *Friſius* l. d. capite XVIII p. 762. Dedit autem Theodericus, quas Carolo miſit, diffidatitias Hôchſtl dominica Ioannis Baptiſtæ decollati memoriam proxime ſubſecuta.

ab Henrico Naſſouio hoſtiliter impetitur.

29) His cum ſe hoſtem profeſſus eſſet, hoſtem ipſe expertus eſt *Henricum* iuniorem, Comitem Naſſouiæ & Viandæ; quippe qui iunctis ſibi *Gerhardo* Wildgrauio *in* Dune & Rhingrauio *zum* Stein, *Philippo* Virnenburgio, *Dieterico* Manderſcheidio, *Ioanne Hirt* de *Schôneck*, & *Arnoldo Sirckio*, Monzingen & Rodenbergam inopina inuaſione occupata in buſtum coniecit, hoſtilibus tum demum denuntiatis, cum iam inimicitiarum feciſſet initium, vel fecialibus ad loca ab eo, vbi tum temporis cum aula Electorali ſe continebat, longius remota, miſſis. Quod cum grauiſſime ferret, Cæſaris per legatos implorabat opem: qui haud cunctatus, litteris Gôrlicii feria D. Eliſabethæ ſacra ſcriptis, *Othoni* Palatino & *Ludouici* Conſiliariis in mandatis dedit, vt Naſſouio ſeueriſſime edicerent, iniuriis iſtis quamprimum deſiſteret; dein vero partibus diem ad cauſſam cognoſcendam præſtituerent.

Ioan. de Hirſchorn excommunicari iubet.

30) Sub finem anni *Ioannes* de *Hirſchorn* Ioannem, Epiſcopum Herbipolenſem, Hochſtadium ad Fridericum, Marchionem Brandenburgenſem, rendentem, debiti cuiusdam cauſſa, in via, Schlüſſelfeldam inter ac vicum Elſendorf, ceperat, ac Reicheneckam, gentis Egloffſteiniæ in Epiſcopatu Eichſtadtenſi caſtrum, abduxerat. Quem vt liberarent, Bambergenſis, Eichſtadtenſis, Fridericus, quem dixi, Marchio Brandenburgenſis, aliique Norimbergæ omni allaborabant ſtudio. *Friſius* l. d. cap. CXX & CXXI p. 763 & ſeq. Cum Hirſchornius omnes, quas ferebant, reſpueret conditiones, Theodericus grauiter indignatus, Vormatienſem, Auguſtanum, Conſtantienſem, & Eichſtadtenſem Epiſcopos, litteris Steinhemii die menſis Decembris XXII ſcriptis impenſe hortatus eſt obteſtatusque, vt ſecundum Canones eccleſiaſticos, aduerſus id genus ſacrilegos inuaſores latos, *Ioannem* de *Hirſchorn*, vna cum façinoris perpetrati ſociis (erant ii *Ioannes* Comes Oetingenſis, *Ioannes* de *Heideck*, & *Horneck* de *Hornberg*) grauibus anathematum religionibus inuoluere ne ceſſent.

Friſius l. d. cap. 21.

Herbipolenſi teſtimonio eſt.

31) Iſtis alioqui diebus eidem, quem modo dixi, Epiſcopo Herbipolenſi culpæ dabatur, ac ſi Francofurti, cum nouus Cæſar eligendus eſſet, Friderici Marchionis Brandenburgenſis offeciſſet luminibus, Theoderico, ne ſuo in eum ſuffragio iret, inducto. *Friſius* l. d. p. 764 auctor eſt, rumorem iſtum peculiari cantiuncula vltro citroque in ſympoſiis diſperſum fuiſſe ac plateis. Ioannes, vt iſtam de ſe dimoueret ſuſpicionem, anno ſequenti MCCCCXXXIX Theodericum compellauit; qui haud grauate veritati perhibuit teſtimonium, & Ioannem noxæ iſti exemit.

Moguntiam ſollemniter ingreditur.

32) Id temporis vrbem nondum ſollemni pompa, vt tum moris erat, inierat. Inire cum tandem conſtituiſſet, Saturni poſt dominicam, quam *Reminiſcere* eccleſiaſticus vocat vſus, apparatiſſimo cultu εἰσέλασιν. Ante tamen, ſollemni ſe honore eam ingreſſurum, litteris Ehrenfelſæ dominica *Reminiſcere* ſcriptis tum Ciuitati, tum Iudicio ciuico, tum Collegio principi ſignificauit. Iudicio ciuico miſſas ſic inſcripſerat; *Dem Edlen Schenck* Eberhart, *Heren* zu *Erpach*, *vnſerm Vettern vnd Kemerer*, *vnd dem Erſamen* Peter *zum* *Mulnbaum, *vnſerm Schulteiſſen*, *vnd andern Richtern vnſſers vverntlichen Gerichts zu Menze vnd lieben getruvven.*

**Mühlbaum.*

Conuentui Moguntino intereſt.

33) Occaſionem, ni fallor, dabat conuentus metu peſtiferæ contagionis Francofurto Moguntiam Procerum conſenſu translatus; qui quidem, vt id addam, maxime fuit celebris. Præſentes enim aderant tres Archiepiſcopi Electores, *Theodericus* noſter Moguntinenſis, *Theodericus* Colonienſis, & *Rabanus* Treuirenſis. Præter eos vero pereximii Regum, Principumque Legati atque Oratores; Alberti Cæſaris, *Leonhardus* Patauienſis, *Ioannes* Lubecenſis Epiſcopi, *Ioannes* Abbas, Scotorum Viennæ, & *Theodericus Ebbrach*, Protonotarius; Regis Galliarum, *Philippus* Archiepiſcopus Turonenſis, *Ioannes* Trecenſis, *VVilhelmus* Verdunenſis Epiſcopi, *Ioannes* de *Monte Morio* Præpoſitus Lugdunenſis, *Martinus VVernerii* Decanus Turonenſis; Regum Caſtellæ, Legionis, & Portugalliæ, *Aluarus*, Epiſcopus eccleſiæ Conchenſis; Theoderici, cum abiiſſet, *Henricus Leubing*, LL. Doctor, Licentiatus in Decretis, & Præpoſitus Heiligenſtadenſis, *Ioannes VVitte*, Decretorum Licentiatus, *Hermannus Stümmel* & *Hermannus Roſenberg*, DD; Theoderici Colonienſis, *Tirimannus Delius*, Decretorum Doctor, S. Florini apud Confluentes Præpoſitus, *Henricus Herpel*, LL. D. Coloniæ Præpoſitus ad D. Seuerinum, *Burchardus* de *Royda* SS. Theol. D. & *Ioannes* de *Lins* V. I. D. Othonis Palatini, Tutoris Ludouici Archidapiferi, *Ioannes Chirchñ*. V. I. D. Friderici Saxoniæ Electoris, *Albertus* Schenck *de* Limpurg, Decretorum D. Friderici Marchionis Brandenburgici & Electoris, *Henricus Leubing*, ceterique Moguntinenſes; Salzburgenſis, *Ioannes Saxe*, SS. Theologiæ Profeſſor; Magdeburgenſis & Bremenſis Archiepiſcoporum, *Ioannes* Epiſcopus Lubecenſis, ſupra dictus; *Philippi Mariæ* Ducis Mediolanenſis, *Matthæus* Albigaunenſis eccleſiæ Epiſcopus, & *Franciſcus* de *Barbauariis*. Qui ab Eugenio miſſi erant, latebant in remotis, vt *Aeneas Siluius* loquitur lib. I commentariorum de geſtis concilii Baſileenſis p. m. 8; ad Archiepiſcopos tamen Electores has dedere litteras; *Reuerendiſſimi in Chriſto Patres & Domini noſtri ſingulariſſimi. Scripſimus alias ad vos, Reuerendiſſimum Patrem, Dominum* Theodericum *Maguntinenſem, nos ad dietam Francofordienſem,*

ſem, quam nunc in Maguntiam mutatam intelleximus, iamque ad eam Dominos conuenire, accedere non poſſe, niſi prius reſponſum habeamus a S. D. N. ad cuius Sanctitatem nuncium miſeramus & literas ſuper rebus Baſilee deliberatis: nunc vero, quoniam reſponſionem illam a S. D. N. infra ſex dies ad tardius habere ſperamus, viſum eſt, ne tempus aliquod inutiliter elabatur, preſentem nuncium ad Reuerendiſſimas Dominationes veſtras deſtinare, per quem eisdem Dominationibus ſupplicamus, vt cum non ſit omnino ſecuritas viarum, placeat prouidere, vt ſaluos conductus habeamus, in forma plenos a ciuitate Maguntina & ab aliis Dominis, per quorum loca habemus tranſire, quos iſtic intereſſe putamus, vt eo caſu, quo S. D. N. nobis mandaret, ad dietam accederemus, poſſimus celerius & ſine mora hic nos transferre. Indulgeant autem nobis Humanitates ac Caritates veſtre, ſi hoc a Reuerendiſſimis Dominationibus veſtris tam libere petimus; facimus enim id ex confidentia veſtris DD. maxima, neſcientes, vnde melius hanc rem habere poſſimus. Commendamus nos Reuerendiſſimis Dominationibus veſtris, parati, ſi quid a nobis fieri poteſt, quod eis gratum ſit. Ex Norimberga die XII Martii MCCCCXXXIX.

Reuerendiſſimarum PP. VV.

filii & ſeruitores

Iohannes *Archiepiſcopus Tarentinus.*
I. F. * *Doctor & Miles.*
Fr. Iohannes *de* Turre cremata.

* f. *Ioan. Fiſcellus*

Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis, Theoderico, Theoderico, Rabano, *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopis Mogunt. Colon. & Treuir. ſacrique R. I. Electoribus, Dominis ſuis ſingulariſſimis.*

fortiter prò concilio loquitur.

34) Quas Theodericus hoc in Conuentu partes amplexus ſit, idem *Aeneas* l. d. his memorat verbis: *Præcipuus illo in conuentu fautor Concilii habitus eſt Colonienſis Archiepiſcopus, qui ſummo ſtudio, ſummoque niſu rem bene dirigere conatus, ſe non minus virtute animi, quam genere atque opibus præſtantem oſtendit, eumque Moguntinus eſt imitatus. Rabanus vero Treuirenſis aliquanto rigidiorem ſe præbuit.*

cum Henrico & Othone Brunſuicenſibus inimicitias exercet.

35) Inde populationibus, rapinis, incendiis, quibus Brunſuicenſes, *Henricus* Erici, & *Otho* Friderici filius in Moguntinæ ditioni ſubditos ab aliquo iam tempore graſſabantur, incenſus, ad arma deſcendit, ac iis apertum ſe hoſtem tulit, inimicitiis, more tum temporis vſitato, per litteras Iouis poſt dominicam *Cantate* dictam vtrique denuntiatis; quas tamen poſt vnum alterumue menſem, tranſactione cum *Othone* & *Henrico* circa D. Kiliani feriam interueniente, aliquantiſper reſtinxit. Pro teſtimonio loquantur litteræ, quibus *VVernherum* de *Hanſtein* & *Erneſtum* de *Vſlar* rogat, vt pacis vel induciarum potius, vſque ad diem Martini duraturarum, obſides ſint. Scriptæ ſunt Heppenhemii dominica poſt Kiliani, &, quæ dixi, his complectuntur verbis: *Solch fried dan vff Dienſtag nechſt furgangen angangen iſt, vnd furter vvehren ſoll bis vff S. Martins dag.* Edit. I p. 875

Audit Moguntiæ legatos concilii.

36) Peruigilio diei B. V. aſſumtæ dicati rurſum fuit Moguntiæ, ibique cum *Iacobo* Treuirenſi, aliorumque Procerum Oratoribus audiuit Legatos Concilii, afferentes *litteras & bullas priuationis Papæ, declaratorias fidei, & decretorum, quod concilium debeat continuari* (Baſileæ ſcilicet) *cum aliquibus copiis.* Quibus auditis reſponſum, velle ſe de his deliberare, & tam cum Romanorum Rege, quam Electoribus abſentibus conferre.

cum Henrico & Engelberto Naſſouiis bello implicatur.

37) Menſe Octobri cum Naſſouiis implicabatur bello. *Henricus* enim iunior de quo ſupra, *Engelberti* Comitis Naſſouiæ & Viandæ, Dynaſtæ Leccenſis & Bredani, filius, ſibi non temperabat ab damnis Sedi Moguntinæ ſubiectis hic illic inferendis; pater vero filii auſus non tam improbabat, quam per ſuos adiutum ibat. Capita controuerſiarum, vnde iniuriarum fons omnis profluxit, duo potiſſimum erant; Vnum ſpectabat Turonenſem (*einen groſſen Thornoſs*) quem Naſſouii de vectigali, quod Lohnſteinii ad Rhenum penditur, ſibi intercipi querebantur: alterum vero ſiluam, die *Durtsheck* dictam. Theodericus in vltionem excandeſcens armis rem committere haud dubitauit, miſſis Engelberto bellicæ denuntiationis litteris. Scriptæ erant eæ Aſchaffenburgi Lunæ poſt diem Dionyſio ſacratum.

de ſacerdotii & Imperii rebus cū collegis laborat

38) Alberto Cæſare non longe poſt præmatura morte rebus humanis erepto; Eugenio Pontifice vero a Patribus Baſileenſis Concilii dignitate exuto, id inprimis curæ ſibi habuit, ne in tanta rerum caligine ad ſcopulum offenderet Imperii fortuna. Collatis igitur Francofurti cum Collegis Septemuiris hac de re ſententiis decretum, in hoc eccleſiæ ſchiſmate ſe medios partiumque intactos manſuros; ſimul vero omni in id incubituros ſtudio, vt ſublatis animorum diſſenſionibus in vnum partes conſenſum coaleſcant; vti conuentio ipſos inter ipſo D. Martini feſto inita, & recepto iam nomine *Andervveite Churfürſten-Verein* appellata apud *Müllerum* l. d. cap. IV § XI p. 48 fuſius docet. Tum vero de digno in locum defuncti Cæſaris ſucceſſore propediem ſurrogando communi actum conſilio.

Amiepiſcoporum Argentinenſiū cauſſam examini ſubiicit.

39) Quæ dum fiebant, Argentorati ædis ſummæ Canonici in Antiſtite creando ſciſſis ſuffragiis in diuerſa abierant. Vna, eademque potior pars legerat *Conradum* de *Buſnang*, altera iſti obiiciebat *Ioannem* de *Ochſenſtein*, Præpoſitum, defectum annis virum, & deſertum viribus. Cum ſuum vtraque ius perſequeretur, Theodericus *Petro* de *Vdenheim*, Moguntiæ ad ædem ſacrorum maximam Scholaſtico, *Richardo* de *Cleen*, ad eandem Canonico, *Ioanni* de *Lyſura*, Collegialis B.M.V. *ad gradus* vulgo nuncupatæ tum Præpoſito, ſuoque in eccleſiaſticis Vicario, & *Heluico* de *Boppardia*, Sedis Moguntinæ Protonotario, vt vtriusque cauſſam diligenter & exquiſite diſquirerent, commiſit: die vero Decembris

Edit. I p. 875

bris quarto non Decano ſolum & Collegio Argentoratenſi, verum etiam omnibus per diœceſin Ducibus, Comitibus, Baronibus, Baliuis, Capitaneis, Vaſallis ſiue Clientibus, ne cauſſa indeciſa vni præ altero adhæreant, pareant, vel auxilium præſtent, miſſis ſuaſit inculcauitque litteris.

PP. concilii, ut Paderbornenſem eccleſiam Colonienſi innectant, compellat.

40) Ceterum a multo iam tempore Theodericus Agrippinenſis huc conſilia nempe curasque ſuas verterat, vt eccleſiam Paderbornenſem, cuius ſimul tenebat gubernacula, a matre ſua, metropoli Moguntinenſi, cui a primo ſui initio ſubdita erat, auelleret, & Colonienſi ſubiiceret, immo iungeret innecteretque. Propoſiti haud prorſus abiiſſe irritum, euentus oſtendit. Martinus enim V, quem hac de re olim conuenerat, impotenti poſtulato annuit, conſtituitque, vt Agrippinenſi adunaretur. Ipſe Theodericus id tanquam pro teſtimonio loquitur in tabulis, de quibus infra n. 26 ad § III. His diebus vero, vt ne citra effectum res eſſet, concilii Baſileenſis Patres inſtanter vrgebat. Voti damnatum vix dubites. Rumor ſane erat, conſenſiſſe Patres, ac Ludouico Patriarchæ Aquileienſi in mandatis dediſſe, vt eam tandem ad eccleſiæ Colonienſis imperium adiungeret. Id ſimulac intelligebat noſter, litteris iſtis, quas in codice noſtro ſæpius iam dicto reperies, Baſileam ad Concilium miſſis pro viribus obniti, ac ius ſuum tueri haud ceſſauit, Patres, ne ſe inaudito quid ſtatuerent, maiorem in modum obteſtatus.

grauamina nationis Germanicæ conſcribi curat.

41) Interea appropinquabat tempus nouo Cæſari creando conſtitutum. Id igitur in maximis tum ac neceſſariis habebat rebus, vt *grauamina* ſiue querelæ *nationis Germanicæ* ſcripto comprehenderentur. Quod etiam obtinuit. In litteras enim anno ſequenti MCCCCXL mittebantur Moguntiæ, vulgoque vocabantur *Aviſamenta*. Legi poſſunt apud *Müllerum* l. d. cap. IV § XIII p. 52 & ſeq.

Fridericum III Cæſarem eligit.

42) Inde Iouis poſt feriam memoriæ Pauli ad Chriſtum conuerſi ſacram Francofurtum perrexit, ac die dein Februarii ſecundo *Fridericum* Auſtriæ Ducem, *Erneſti* Ferrei filium, III cognomento vulgo notum, ſuo ſuffragio ad Imperium vocauit. Vid. Relatio electionis apud *Müllerum* l. d. cap. I § II p. 3 & 8, nec non *Boeclerum* in diplomatis ac documentis hiſtoriæ *Friderici* huius *III* ſubiunctis p. 190 & ſeq.

Sigiſmundi Antiſtitem Herbipolenſem confirmat.

43) Poſtridie *Sigiſmundum*, Friderici & Wilhelmi, Saxoniæ Ducum, fratrem, *Ioanni* de *Brunn*, Epiſcopo Herbipolenſi nuper ſatis functo ſurrogatum, Collegio cathedrali petente, laudato cæremoniarum confirmauit ordine. *Friſens* chron. Wirzburg. in dicto *Sigiſmundo* cap. I p. 774.

de reconciliatione Magiſtrorum Ordinis Teutonici & Enſiferorum agit.

44) Sequentibus diebus vna cum *Theoderico* Colonienſium Archiepiſcopo, *Friderico* Duce Saxoniæ, & *Friderico* Marchione Brandenburgenſi, omnem dedit operam, vt diſſidium inter *Paulum* de *Ruſsdorf*, ſupremum Ordinis Teutonici Magiſtrum ex vna, *Eberhardum* de *Savvensheim* ſiue *Seinsheim*, eiusdem Magiſtrum per Germaniam ac Italiam, ex altera, & *Heidenricum Finckium* de *Auerberg*, Enſiferorum per Liuoniam Magiſtrum, ex tertia parte coortum ad concordiam reduceret ac tranquillitatem; quanquam omnis, quem tum ſuſceperat, labor in caſſum ceciderit; vt diſerte produnt litteræ, quibus ipſe poſtea & *Otho* Palatinus, Ludouici Palatini iunioris tutor, perſcripſere, Spiræ partes in *Ioannem* Comitem Wertheimenſem compromiſiſſe, qui diem ipſis dixerit Erfurti ad feriam adſumtæ B. V. obeundum.

de ope domui Teutonicæ Mergentheimenſi ferenda compellatur.

45) Erat autem, quod hic notandum, Theodericus domorum Ordinis Teutonici *Mergentheimenſis*, *Protſeldenſis*, *Neuenbrunnenſis*, & *Argeſchoffenſis* Aduocatus & Patronus. Cum igitur his diebus nonnulli, quos inopia vexabat, bonis illius, quæ Mergenthemii eſt, manus attuliſſent, & quidem prius, quam Ordini inimicitias denuntiauerant, cauſſati, eſſe ſibi ab Commendatore factam iniuriam; *Eberhardus* de *Seinsheim*, Ordinis per Germaniam Magiſter, reuerenter petiit, vellet ipſe Mergentheimenſibus eſſe præſidio, ſuisque Præfectis, Biſchofsheimenſi præcipue, in mandatis dare, vt raptoribus iſtis ſe obiiciant, fugientibus inſiſtant, e fuga reprehenſis vincla iniiciant, vt indicio ſiſtantur; cetera vero Comites Rieneccios monere, ne eis per vectes remiſſarios, aut ſaltum, in quo portæ Comitatus ſitæ, tranſitum permittant. Quod & Theodericum feciſſe, ex litteris Seinsheimii in codice Diplomatico allatis colligere eſt.

pacem facit cū Naſſouiis

46) Aliquanto poſt cum Naſſouiis, ſancita iniuriarum obliuione, litiumque cauſſis arbitrio *Iacobi*, Archiepiſcopi Treuirenſis, commiſſis *, pacem fecit Boppardiæ Martis poſt diem Marco Euangeliſtæ feſtum; præſentibus *Ioanne* de *Erlenbach*, aulæ Moguntinæ Præfecto, *Adamo* de *Aldendorf*, Vicedomino Rhingauiæ, & ex parte Naſſouiorum, *Gerlaco* de *Schönborn*, Milite, *Ioanne* de *Muderſpach* & *Emerico* de *Heppenheft*.

* *Notes hic, quod* Iacobus *anno ſequenti Lunæ poſt dominicam* Lætantium *Moguntiæ pronuntiarit ſententiam.*

ſynodum Aſchaffenburgi habendã indicit.

47) Non minus autem publicæ, quam priuatæ ſtudioſus erat tranquillitatis, ac ſi quid aliud, hoc ſane in votis habebat, vt graue iſtud, quod rem Chriſtianam premebat, ac indies magis corroborabatur, diſſidium opportunis aliquando remediis reduceretur ad concordiam. Cum igitur Fridericus Cæſar, in quo ſpem haud paruam aduerſus id collocabat Germania, conuentum Principum Norimbergam ad diem Michaeli Archangelo feſtum indixiſſet, ipſe, vt hoc maiora conſilii præſidia, communem in vtilitatem tum explicanda, ſibi compararet, per hos dies denuo omnes archidiœceſis ſuæ Suffraganeos ad ſynodum Martis poſt diem adſumtæ B. V. Aſchaffenburgi celebrandam vocauit, maxima vnumquemque obteſtatus contentione, vt vel ipſe eam frequentet, vel viros doctrina præſtantes, rerumque vſu probe exercitatos ad eam mittat. Quam piam optimi Præſulis ac Metropolitani ſui curam atque ſollicitudinem multa omnes proſecuti laude, reſponderunt, in ob-

sequium se esse paratos, ac qui negotio sint pares, ad diem præstitutum missuros.

in Hassiam it ac Thuringiam.

48) Posthæc iter in Hassiam suscepit, Thuringiamque, vt tanquam beneficum aliquod sidus passim locorum suos spargeret radios, sibique subditos simul reciperet in fidem. Veneris post Michaelis Archangeli Heiligenstadium venit, ciuibusque in sua verba adactis, die Francisci memoriæ sacro perrexit Duderstadium; inde Erfurtum: quam die Dionysii splendidissime ingressus est; quippe deductus a pluribus munerum iuxta generisque dignitate quammaxime illustribus; quos inter erant *Magnus*, Episcopus Hildesheimensis, natu Dux Lauenburgicus, *Hermannus* Episcopus Citrensis, *Hermannus II* Abbas Fuldensis, *Philippus* Abbas Weissenburgensis &c. *Occursum ei a ciuibus & omni multitudine, atque cum subiectionis professione homagium præstitum est. Senatus in templo Seueriano, ciues in coemeterio iurarunt. Non in aula, sed in monasterio S. Petri diuertit.* Ita *Gudenus* lib. II historiæ Erfurtensis §XXIII p. 134.

Erfurti splendide excipitur,

homagium accipit.

Abbati D. Petri singulare concedit priuilegium.

49) Abbati *Hartungo*, cognomento *Herling*, tum hanc fecit gratiam, vt monasterio insigne impertiret priuilegium. Ei namque successoribusque concessit, vt possint fratribus sibi subiectis primos conferre ordines; perpetuis itidem temporibus ornamenta ad monasterium D. Petri pertinentia sacrare. id quod fide *manuscr.* Petrensis adnoto.

Wirzburgi Episcopum cum Canonicis reconciliare studet.

50) Erfurto vna cum *Hermanno* Abbate Fuldensi concessit Herbipolin, reconciliationem tentaturus Sigismundum Episcopum inter ac ædis summæ Canonicos, qui tum acriter inter se erant commissi. Venit autem eo Iouis post anniuersariam OO. SS. memoriam, ac reducendæ dissidentes inter concordiæ multum operæ impendit. *Friseus* l. d. cap. VIII in *Sigismundo* p. 778. Edit. I p. 875

Facit ipse rei huius mentionem in litteris quibusdam anno MCCCCXLII datis; *Als wir vnser land zu Hessen, im Eichsfeld, vnd zu Doringen eingenommen, im Stift zu Wirzburg etwa lange zyt mit swerer kost gelegen sin, grossen vnrath vnd vnuermeidlich desselben Stiffts verderpnis zu verhuten &c.*

51) Cum nil se proficere videret, domum quidem remigrabat; nihilo tamen secius Kitzingam suis e Consiliariis mittebat *Ioannem Flach* de *Schvvarzenberg*, ædis summæ Custodem, *Henricum Leubing*, Decretorum Doctorem, Cancellarii nuper ad munia adscitum, *Ioannem* de *Erlenbach*, aulæ suæ Præfectum, & *Zurch* von *Stetten*, Satrapam Bischofsheimensem, vt de sedandis partes inter ac comprimendis motibus quanta possent diligentia agerent ac contentione. Qui etiam studio suo atque labore a Sigismundo obtinuere, vt amicabili compositioni Wirzburgi denuo tentandæ dies statueretur. Erat is Veneris post diem Virgini Deiparæ in vtero conceptæ sollemnem: quem etiam Theodericus prolixa obiit voluntate, quantum impendio poterat ac diligentia contendens, vt controuersiæ aliquando imponeret modum. *Friseus* l. d. cap. XIX p. 783.

eadem de causa Legatos mittit Kitzingam,

& dein Wirzburgi diem constitutum obit.

52) Sub finem anni non solum *Ludouico* Comiti Glichensi permisit, vt coniugi *Vrsulæ* censum de clientelis *Blanckenheim* & *Hochdorf*, viduitatis tuendæ caussa, assignaret, sed curatores etiam *Vrsulæ* ipsi dedit, constituitque *Adolsum*, Comitem Glichensem, Dominum in Thonna, *Sigismundum* Comitem Glichensem, & *Henricum*, Dominum in Gera & Lobenstein, seniorem. Tabularum clausula prodit acta hæc esse Mercurii post D. Virginis & martyris Luciæ sollemnitatem.

Glichensi de dotalitio vxori constituendo consentit.

III Eodem fere tempore nobile typographices inuentum apud Moguntinos extitit; de quo satis multa lib. I cap. XXXVI & sequentibus *.

* Sedenim & alii, suo laudandi loco. Nunc enim Theoderici rebus persequendis insistendum.

videtur, interfuisse Comitiis Moguntinis.

1) Vix autem dubium est, quin anno sequenti MCCCCXLI ineunte Moguntiæ, quo Cæsar Ordinibus Imperii Comitia indixerat, & se ipsum ad ea venturum significarat, rei publicæ substiterit caussa; quamuis res ita ferebat, vt Fridericus aliis distentus negotiis ad ea, vti constituerat, accedere haud posset, sed Legatos mitteret, ceu ex litteris fiduciariis eisdem traditis, & in codice Diplomatico allatis, patet. Ceterum, quod ad Comitia ipsa, conferri meretur *Müllerus* l. d. cap. V p. 57 & seq.

Treuirensi Archicancellarii per Germaniam vices defert.

2) Dein, cum in suæ gubernatione ecclesiæ tanta negotiorum in ecclesiasticis iuxta ciuilibusque premeretur mole, vt obeundis Archicancellarii per Germaniam partibus vix par esse posset, sub exordium anni modo dicti *Iacobo* Treuirensi Archiepiscopo, vt talium munerum iam olim adsueto, curiæ Imperialis, quam *Cancellariam* vocamus, procurationem vicaria detulit potestate. Id enim hoc anno suis in litteris Moguntiæ ipso D. Matthiæ Apostoli die scriptis produnt, qui negotio isti interfuere, *Philippus* de *Sirck*, Herbipoli ædi primariæ Præpositus, *Petrus* de *Vdenheim*, Scholasticus Moguntinus, *Dietherus* de *Isenburg*, Dominus in Büdingen, *Nicolaus* Aduocatus Hunoldsteinensis, *Henricus Leubing*, Cancellarius, ac *Dammo* de *Gundersdorff*. Vt adeo corrigendi hic veniant, qui in annum sequentem id proferunt, annalium Treuirensium scriptores, *Kyriander* & *Brovverus*, ille, part. XV p. 244, iste, lib. XIX § LX p. 280. v. *cod. Dipl.*

3) Commisit autem ipsi partes has ad dies vsque vitæ; sicuti iidem satis clare innuunt testes, dum in litteris modo dictis ita pergunt; *Also hat vnser Herr von Menze vnserm Herrn von Triere in derselben mass — geredt vnd zugesagt vnd versprochen, yne von der Canzelie nit zu entsetzen, die er ime dan izunt, als vorgeschrieben ist, bevolen* &c.

4) Cæsari dein, sese Archicancellarii per Germaniam munia in aula Imperiali obeunda

Iacobo

v. *cod. Diplom.* Iacobo detuliſſe, litteris Moguntiæ ipſo D. Petri Apoſtoli die datis reuerenter ſignificauit, rogans ſimul, velit illum Fridericus ad ea clementer admittere.

v *cod. Diplom.* 5) Petenti Cæſar annuit, vti reſponſoriæ Neoſtadii die Mercurii poſt D. Iacobi memoriam ſignatæ docent. Iacobus vero anno ſequenti Theoderico, Saturni poſt diem Dorotheæ Virgini feſtum, quam explicatiſſime cauit, id ſine præiudicio vel derogatione iuris ipſi ſucceſſoribusque in Sede Moguntina proprii futurum.

Benedictinos archidiœceſis Conuentib⁹ Ordinis extra prouinciam indicti haud vult intereſſe. 6) Interea loci Abbates cœnobiorum D. Benedicti inſtituta in terris Ducatus Brunſuicenſis, vulgo tum *ad Leinam* dicti, nec non Epiſcopatuum Hildesheimenſis, Paderbornenſis, Verdenſis, & Halberſtadenſis ſequentium, litteris quibusdam obreptiue latenterque a Concilio Baſileenſi obtentis nixi, contra antiquam conſuetudinem a Capitulis ſiue comitiis Ordinis Moguntinenſi in prouincia nuper celebratis ſe retraxerant: contra vero interfuerant conuentui in monaſterio S. Ioannis Baptiſtæ extra mœnia Magdeburgenſia in monte nuper coacto; quin nec diſſimulabant, in poſterum etiam ad eos, qui vel in Magdeburgenſi, vel Bremenſi haberentur prouinciis, ſeſe venturos. Quæ res cum in manifeſtum Sedis Moguntinæ contemptum vergeret, Theodericus, ab ſe iam in tuendis eccleſiæ ſuæ iuribus acris prorſus ac vigilantis ingenii, tum vero a Suffraganeis ſuis, ac Capituli nuper in prouincia Moguntina celebrati Patribus rogatus, Hildeshemenſem, Paderbornenſem, Verdenſem, & Halberſtadenſem litteris Aſchaffenburgi die Aprilis X datis grauiter ac ſerio commonuit, vt quam accuratiſſime iis interdicant, ne poſthac veterem migrent morem, & id genus congreſſibus extra prouinciam Moguntinam interſint.

v. *cod. Diplom.*

litem Helfſteinii cum Leiningenſi ad ſe reuocat & decidit. 7) His alioqui diebus *Emichonem*, Comitem Leiningenſem ad forum Burggrauiatus Norici prouinciale vocarat *Vlricus*, Comes Helfenſteinius. Materia litis erant bona quædam, quæ *Emicho* a matre, auiaque relicta hereditatis adierat iure tituloque. Atenim vero, quod is, nexu beneficiario Sedi Moguntinæ obnoxius eſſet, cauſſam Theodoricus ad ſe reuocabat. Quippe inter Principum Electorum priuilegia, vt alibi iam notatum, eſt, Vaſallos ſiue Clientes eorum ad iudicia tum prouincialia, tum alia haud euocandos eſſe; ſi qui vero quapiam de re compellandi veniant, in ius vocandos apud Electorem, cuius ſint Vaſalli *. Atque adeo Theodericus vtrique diem dixit, Lunæ ſcilicet poſt D. Kiliani ſollemne Benshemii obeundum. Ad quem cum vadimonii cauſſa adeſſent, lata ſtatim litem decidit ſententia; quæ quidem eodem adhuc die publicis conſignata fuit litteris.

* Conf. *Codicem Diplomaticum Palatinum* n. CXLI p. 91.

Hôchſtl familiam Antonitarum plantat. 8) Enimuero, cum ſingulis in diœceſi ſua religioſorum ſocietatibus bene, honeſtiſſimeque cuperet, tum maxime animo in B. Confeſſoris *Antonii* familiam erat ſingulari; quem vt hoc luculentius teſtatum faceret, Hôchſtl & domicilium ei attribuit, & ædem loci parochialem, iuxta cum omni iure, prouentuque; ad hæc domum ſocietatis Roſtorfenſem eidem in perpetuum adunauit, adiectis, vnde ſibi victum hoc melius faciliusque fratres compararent, agris, pratis, cenſibus, aliiſque bonis quamplurimis. Factum id Aſchaffenburgi, die menſis Septembris XXI, vt ex tabulis, quas in codice Diplomatico dedi, fuſius liquet.

baſilicam Ingolſtadenſem ad B V. iuſſu Cæſaris in tutelam ſuſcipit. 9) Ceterum haud ita multo ante *Ludouicus*, Boiariæ Dux Comesque Mortaniæ, cognomento *Barbatus*, Ingolſtadii baſilicam, vulgo tum *zur ſchönen Marien* dictam *, condiderat, largeque ditatam Cæſaris commiſerat patrocinio. In quod cum eam vna cum domo præbendali nouo (*dem nuvven pfrunthus*) Fridericus ſuſcepiſſet, conſtituit, qui rationem illius ſtudioſe haberet, Cancellarium ſuum, *Conradum*, Viennæ ad D. Stephani Præpoſitum, eoque decedente vnumquemque in Cancellariæ Imperialis dignitate ſucceſſorem (*vnd eynen yden nachfolgenden zu zyten in dem Rich Canzlar*) Sedenim perpenſo magis, qui tum erat, rerum in Boica ſtatu, conſultius iam ducebat, Sedis Moguntinæ eam concredere fidei. Nec mora; Theoderico eam litteris Græcii Lunæ, quæ feſtum Michaeli Archangelo diem tum præceſſit, ſingulari commendabat ſtudio cum tuendam, tum omni conſeruandam cura; vt tamen liberam ei relinqueret facultatem, ſi quidem res ita exigeret, alium adſerendæ iſti vindicandæque ſubſtituendi. Quam ipſe procurationem libens in ſe recepit, ac *Heluico* de *Boppardia*, Decretorum Doctori, Decano Veſalienſi, ſuoque Cancellario, vicaria opera obeundam anno ſequenti MCCCCXLII ſummo ſtudio demandauit. Produnt id tabulæ hac de re Aſchaffenburgi Lunæ poſt dominicam *Inuocauit* confectæ. v. *cod. Diplom.*

* *Conf.* Auentinus *lib. VII annal. cap. XXV § XXI p.* 792.

Ochſenfurti recipit homagium. 10) Inde dominica, quæ proxime ſequebatur, *Reminiſcere* dicta, Ochſenfurtum, quod Sedi Moguntinæ non ita pridem a Capitulo Herbipolitano pignori oppoſitum fuerat, vna cum Abbate Fuldenſi conceſſit, vt ciues imperii iuxta atque obſequii vinculis ſibi adſtringeret, deuinciretque. *Friſeus* l. d. cap. XXX p. 789.

Acconenſi in eccleſia Wirzburgēſi functiones pontificales committit. 11) Ibi cum eſſet, *Hermanno*, Epiſcopo Acconenſi, in iſta cleri principis cum Sigiſmundo Epiſcopo diſſenſione, feria ſecunda poſt dominicam modo dictam, auctoritate Archiepiſcopali poteſtatem conceſſit, in eccleſia Herbipolenſi, eiusque diœceſi ſacros conferendi ordines, chriſma item conſecrandi, ceteraque iura pontificalia exercendi, ne per dies iſtos, quibus cæleſtis bona gratiæ per id genus ſacramenta offerri, percipique eccleſiaſticus poſceret vſus, neglectos ſe queri poſſint, qui forte per vrbis agrique parœcias iſta conſequendi pio concitati forent ſtudio.

Epiſcopatus Wirzbur- 12) Vt adeo miſer omnino rerum Wirzburgenſium tum fuiſſet ſtatus, ni Theoderi-

genſis cauſſam agit.

cus ſua vigilantia rationibus illarum prouidiſſet, cum maxime, quod ipſis hiſce diebus *Albertus* Marchio Brandenburgicus ſe magnos ſtimtus Sigiſmundi cauſſa feciſſe queſtus, duo & viginti florenorum millia a Sexuiris, quibus Epiſcopatus adminiſtratio commiſſa erat, exigeret. Nouis enim res hæc materiem præbere poterat motibus. Quo minus autem daret, conſulte præcauendum rebantur cum alii, tum in primis ipſe rurſum Theodericus. Dictus igitur, quo Wirzburgi inter partes ageretur, dies. Erat is dominica poſt ferias paſchales prima. Ea vbi affuit, ipſe, vti operam ſuam vtrique parti prolixe detulerat, ita præſens re ipſa præſtare conatus eſt, quamquam tum nihil ad rei ſummam profecerit. *Friſeus* l. d. cap. XXXIV in *Godefrido* p. 790.

coronationi Cæſarea intereſt,

13) Hinc Fridericum, regali diademate ornandum, honoris ergo Aquisgranum deduxit, ſollemnibusque, quæ die XVII Iunii Colonienſis peragebat Præſul, magna interfuit dignatione. *Gerhardus* de *Roo* lib. V hiſtoriæ Auſtriacæ p. m. 172, *Müllerus* l. d. cap. VI § IV p. 77.

Francofurti regalia ab eo impetrat.

14) Illis finitis Cæſarem ſecutus, Francofurti vna cum ceteris ſaluti publicæ conſuluit in Comitiis, ipſoque die Apoſtolorum in diuerſas orbis partes diſcedentium memoriæ dicato, iura regalia quanta maxime par fuit cæremonia (*mit ſchœnheit vnd zieret, als ſich das gebüret*, vt in publicis hac de re tabulis eſt) a Friderico tum petiit, tum impetrauit.

priuilegia Auſtriaca conſenſu ſuo firmat.

15) Viciſſim ipſe, Iouis poſt diem aſſumptæ Virgini matri ſacratum, ſua Cæſari, domuique Auſtriacæ probauit officia. Quippe inſtrumento, quo Fridericus vetera Cæſarum ac Imperatorum priuilegia Auſtriacis conceſſa, luculenter admodum confirmauerat, ſuo robur adiecit conſenſu. Vid. diplomata & documenta, quæ *Aeneæ Siluii* de Friderico III hiſtoriæ ſubiunxit *Bæclerus*, p. 13.

Norimbergenſibus Comitiis intereſt.

16) Poſt Norimbergam, quo Cæſar nouum Principibus conuentum indixerat, profectus eſt, & de componendo, quod eccleſiam mire deformabat ſchiſmate, pro ſingulari, quo in rem publicam ferebatur ſtudio, omni egit diligentia. Conf. *Roo* l. d. p. 173.

a Philippo & Engelberto Naſſouiis impugnatur.

17) Cauſſabatur tum *Philippus*, Comes Naſſouio-Saræpontanus, ſe ſæpius iam tum ore tum ſcriptis queſtum eſſe, quantum miles Moguntinus, itinere in Comitatum Diezenſem nuper facto, ſibi ſuisque rapinis, incendio, aliisque id genus iniuriis intulerit detrimenti; nec tamen inter hæc æqui vel iuſti quid impetraſſe; nec cunctatus, cum ad id vſque temporis in Conſiliariorum Moguntinenſium fuiſſet numero, & his ſponte ſe abdicabat muniis, & ſimul litteris Mercurii poſt diem Aegidio in faſtis ſacrum datis, Theoderico hoſtilia minabatur. Idem eodem tempore faciebat *Engelbertus* Naſſouiæ & Viandæ Comes, de quo ſupra. Quorum quidem conatibus vt occurreret Theodericus, nil fecit reliqui.

eum Haſſo perpetuum ſcis fœdus.

18) Vt igitur hac parte, quæ belli erant, ſpectabat, ſic item altera, quæ pacis; quandoquidem paucis poſt diebus cum *Ludouico*, Haſſiæ Landgrauio, ſublatis prius litium omnium cauſſis, perpetuum idque arctiſſimum amicitiæ mutuique auxilii fœdus iniit, tabulis, quibus id conſignabatur, Fridbergæ die Mercurii D. Martini ſollemnitatem ſubſecuto, confectis. Edit. I p. 875

litem Brandenburgenſ. cum Wirzburgenſibus componit.

19) Interea etiamnum feruebat lis de nominibus, quæ Brandenburgenſis Sigiſmundi cauſſa ab Herbipolenſibus exigebat. Vt ad concordiam tandem reduceretur, ſub anni finem arbitri delecti, *Godefridus* Pincerna Limburgenſis, Epiſcopatus Wirzburgenſis recens conſtitutus Prouiſor, *Conradus* Dynaſta Winſpergenſis, &, primo quidem loco, *Theodericus*. Quorum opera Mergenthemii res hæc ipſis D. Luciæ feriis ad æquitatem redacta. Summam compoſitionis tum factæ habet *Friſeus* l. d. cap. XXXII p. 808.

Dalwichii & Hertingshuſium compoſcendos ſtatuit.

20) Anno poſtero, qui poſt Virginis Deiparæ partum fuit MCCCCXLIII, tranquillitatem publicam, de qua ipſe tam ſollicitus ſemper erat, ſemel atque iterum turbabant *Reinhardus* de *Dalwich* ſenior, & *Fridericus* de *Hertingshuſen*. Quos vt in ordinem redigeret, caſtra *Nuvvenburg* & *VVedelberg*, quæ in ſua habebant poteſtate, ipſe ſtatuit expugnanda. Nec moratus, ſui rationes conſilii communicat cum Ludouico Haſſiæ Landgrauio. Cui cum hoc minus improbarentur, quo magis rei communi videbantur vtiles, de expeditionis modo fineque tractatum eſt. Conuenit autem inter eos, conſociatis viribus vtrique obſidionem inferendam eſſe. *Nuenburgum* captum Theoderico ſoli ceſſurum; *VVedelbergam* vtrique pro dimidia parte: neutrum vero Dalwichio & Hertingshuſio vnquam reſtituendum. Acta hæc Iouis ante dominicam, cui nomen a *Lætitia*.

21) Sequenti tamen (MCCCCXLIV) ira, quam aduerſus eos diſtrinxerat, preſſa ſpatium animo, locumque dedit reconciliationi. Delecti igitur ab vtraque parte arbitri, *Hermannus Riedeſel*, Mareſchallus Haſſiæ hereditarius, *Philippus* de *Cronenberg*, Præfectus Olmenſis, *Stitchius* de *Berlepſch*, Satrapes tractus ad Loganam, & *Ioannes* ab *Erlenbach*, Vicedominus Aſchaffenburgenſis: quorum in auctoritate ſe futurum his, Iouis poſt diem virginis Deiparæ purificationi ſacratum, *Dalvvichius* ſpopondit conditionibus; caſtro Amelburgenſi, vel, eo armis ſubacto, Höchſtenſi, in quod ſe tum conferre velit, ſeſe nec exceſſurum, nec quoquam pedem moturum, donec feciſſet iudicatum.

Ordinationē Canonicorū ad D. Bartholomæi Francof. de Plebano ordinario conſtituendo ratam habet.

22) Francofurti tum parochialis erat vnica, Collegialis nimirum ad *D. Bartholomæi*; quam quidem hactenus quidam e Canonicorum ad eam numero ſacris curauerat officiis, idque gratis ac ſine ſtipendio. Enimuero, cum neminem illorum fugeret, dignum eſſe operarium mercede ſua, viſum tandem, beneficium primo quoque tempore vacaturum Plebanatui ſiue muneri parochiam Curionis vice adminiſtrandi, adſignare, in perpetuumque attribuere: ei vero in poſterum e Collegio ſuo neminem alium præficere, niſi qui in academia quadam publica celebrique integro biennio

Edit. I p. 875

biennio sacris studiose se dederit litteris, ac ad summos in Theologia aut iure Canonico honores vel iam adspirarit, vel minimum eosdem petendi consecutus sit licentiam. Qua mente cum essent, *Ioannes Schvvert*, Monasterienſis, Moguntiæ ad D. Stephani Scholasticus, curiæque Archiepiscopalis ecclesiasticæ Iudex, canonicatu, quo in Collegiali haecce fruebatur, hunc in finem se decessurum, pie sane, liberaque pollicebatur voluntate. Supererat, vt Archiepiscopi accederet consensus; quem cum flagitarent, Theodericus, quo in rebus ecclesiarum curatius instruendis ornandisque erat studio, opido quam libens annuit, ac amplo diplomate Aschaffenburgi die X Aprilis edito, id omne ratum habuit, sciuitque.

Caussam Winspergensis cognoscit.

23) Dein feria post dominicam *Quasimodogeniti* dictam prima ibidem tribunal conscendit, ius dicturus *Conrado*, Dynastæ Winspergensi, qui diem dederat bonorum Falckensteinio-Münzenbergicorum heredibus, *Bernhardo* & *Ioanni*, Comitibus Solmensibus, *Godefrido*, Domino Epsteinensi, & *Eberhardo*, Domino Epsteinensi ac Königsteinensi, Sedi Moguntinæ clientelari fide obstrictis, postulans, vt adigerentur ad explicanda tandem ista decem millia marcarum auri, sibi pridem per sententiam fori Cæsarei Rotwilensis ex opibus Falckensteiniorum relictis attributa. Adsidebant iudicio *Hermannus*, Abbas Fuldensis, *Cuno*, Abbas Seligenstadensis, *Ioannes Flach* de *Schvvarzenberg*, Custos, *Volpertus* de *Ders*, Scholasticus, *Ioannes* de *Lindau*, *Conradus Ravv*, senior, & *Richardus* de *Oberstein*, Canonici Moguntini; *Ioannes* de *Svvalbach*, Ordinis D. Ioannis Melitensis Eques, Commendator in Weissel, *Henricus Leubing*, Iuris Cæsarei Doctor, Canonici Licentiatus, Cancellarius; *Georgius* Comes *de* Wertheim, *Reinhartus* iunior, Comes *de* Hanau, *VVilhelmus*, Comes *de* Wertheim, *Philippus* Comes *de* Rhineck, *Vlricus* Dominus *de* Bickenbach, & *Philippus* Pincerna *de* Erpach; *Philippus* de *Cronenberg*, *Eberhardus* de *Riedern*, & *Conradus* de *Franckenstein*, Milites; *Zürich* de *Stetten*, *Henne* de *VVasen*, *Ioannes* de *VVittstatt*, senior, *Ioannes* de *Erlenbach*, *Ioannes Schelm* de *Bergen*, *Franco* de *Cronenberg*, iunior, *Conradus* de *Romrode*, & *Bernhardus* de *Svvalbach*.

de moneta feriunda cil Electoribus Rhenanis agit.

24) Commerciorum porro tum ineundorum, tum miscendorum adiumento, cum Collegis Electoribus Rhenanis, *Theoderico* Colonienſi, *Iacobo* Treuirensi, & *Ludouico* Palatino de moneta aurea, argenteave, maiori & minori, pari pondere, valore, forma, & figura (*vff glichen stalen vnd maniere*) sex proximis annis cudenda Bingii Lunæ post D. Georgii memoriam peculiarem iniit conuentionem; ex qua, cum nosse expediat, quæ rei nummariæ tum facies fuerit ac ratio, nonnulla huc adferre, iuuabit. Sic autem ibi; *Sol iglicher halten einen —— Münzmeister, —— schlagen güldene, dern iglicher halten sol 19 grait fynes goldes vsser dem zcyment, sunder remedium, vnd mit dem striche glich sin der nadlen, vnd derselben guldinen schön gemacht vnd bereit, sollent hundert vnd nit mee 1½ Collische margk gevviegen geen. VVir vvollen vch —— muntzen VVissphenige, die da halten 8 phenige konig-silbers, vnd sollent solicher VVissphenige vviss, schön gemacht vnd ganz vssbereit, hundert vnd zvvelff, vnd nit mee, ein Collische margk vviegen. —— Desglichen sollen vvir vch munzen halbe VVissphenige vnd Drylinge, glich gut an silber, als die VVissphenige, vnd sollent der halben VVissphenig 200 vnd 24, vnd der Drylinge 428, vnd nit mee vff ein Collische margk geen. Dazu sollen vvir vch Heller munzen, die da halten funften halben phenig fins silbers, vnd der sollent zvveen vnd funfzig 1 loit vviegen, vnd 12 der obgerurten VVissphenig einen gelten —— vnd dass vnser Muntzmeister solichs desto bas mage zukommen, so sollen vvir zu keinen silbernen muntzen schleschatze nemen* &c.

castra Hundesruck & Woldenstein expugnat.

25) Interea temporis *Conradus* de *Hohestede* & *Conradus* de *Schvvichelde*, genere magis nobiles, quam virtute, dum rapto viuere assueuerant, crebris incursionibus agrum Moguntinensem, Hildesheimensem, ac Brunsuicensem reddebant infestum. Sedenim suorum vicem acriter Theodericus vltus est. Cum *Magnus*, Hildesiensium Antistes, *Otho* Brunsuicensis, Friderici filius, ac patre *Erico* nati *Henricus* & *Ernestus*, illatam suis iniuriam ferro persequendam statuissent, ipse abiecta omni mora in eandem iuit sententiam. Copiis igitur contractis castra illorum *Hundesruck* & *VVoldenstein* obsident, expugnant: tum vero data sibi inuicem fide statuunt, propulsandis istis, si forte animis sumtis vni alteriue bellum facerent, se, velut in communi periculo, consilia opes operamque iuncturos. Acta haec dominica antecursoris Christi natalem subsecuta.

vt Agrippinensis iuri suo in Paderbornense ecclesiam renuntiaret perficit.

26) Qua alioqui vigilantia in vindicanda metropoli suæ ecclesia Paderbornensi excubuerit, ex superioribus constat. His addas, quod hac sua in tuendis pontificatus sui iuribus fide diligentiaque perfecerit, vt eodem hoc temporis tractu *Theodericus* Agrippinensis, Collegii Colonienſis consensu, iuri, quod in Paderbornensem acquisierat, formula publica, die Martis ante festum Visitationis Mariæ edita, sollemniter in perpetuumque renuntiarit.

ad Comitia legatos mittit,

27) Indixerat Cæsar ordinis vtriusque Principibus conuentum Norimbergæ habendum. Vbi conueniendi tempus affuit, misit eo, domi ipse rebus ecclesiæ suæ moderandis, & ab Armeniacorum Alsatiam perstrepentium incursionibus tuendis insistens, Legatos, qui cum aliis consulerent de re publica. Post tamen, Cæsare, vt accederet ipse, sibique præsens consilio adesset ac obsequio, instante, exigente, boni intuitu publici, cui priuatum posthabere decreuerat, illuc concessit, ac de grauissimis, quæ tum ecclesiam, tum rempublicam Germanicam premebant, difficultatibus libere, sapienterque sententiam dixit.

& post ipse venit.

Aeneas

Aeneas Siluius in litteris ad *Ioannem Gers*, Protonotarium Regis, apud *Müllerum* l. d. cap. XVII § XV p. 226, *Brouuerus* l. d. lib. XIX § LXIX p. 282.

Spiram tendit.

28) Norimberga vero vix domum reuerterat, quum publicæ tranquillitatis cauſſa Spiram adſcenderet, de Gallis Alſatia tandem depellendis, vna cum ceteris Principibus abſentiumque Oratoribus conſulturus. Adfuiſſe ibi diſerte memorant Legati Argentoratenſium in litteris apud *Müllerum* l. d. cap. XXI § III p. 263. Edit. I p. 875.

IV Aedificauit Theodericus Algesheimenſe caſtrum. Anno MCCCCXLV inter Ludouicum Palatinum & Theodericum Moguntinum, cui Badenſis & Brandenburgenſis Marchiones opem ferebant, fuit diſſenſio *.

* 1) Diſſenſit equidem cum Ludouico Elector Palatino Theodericus; verum non hoc, quem auctor ſignat, anno, ſed decennio ante; vt ſupra ad § II n. 9 notatum. Ab eo tempore cum eo ſic ſatis amice vixit. Dum *Alberti* Brandenburgenſis & *Caroli* Badenſis opem ſibi deſpondit, non cum *Ludouico* exercuit inimicitias, ſed cum *Friderico*, Ludouici fratre & ſucceſſore; vti ad annum MCCCCLV dicetur pluribus.

cum pluribus fœdus pacisciter.

2) Quo magis autem periculi, in aſpero illo difficilique temporum articulo, tractui Rhenano impendentis rationes ferebant ac poſtulabant, vt vires in vnum conferrent finitimi Principes; hoc ſtudioſius id Theodericus habebat penſi. Factum hinc, vt anno hoc MCCCCXLV in fœdus ipſe coiret cum *Othone* Comite Palatino Rheni, *Ludouico* Duce Boiariæ & Comite Greisbacenſi, *Ioanne* & *Alberto*, Marchionibus Brandenburgenſibus, *Iacobo* Marchione Badenſi, & *Vlrico*, Comite Wirtembergenſi; qui omnes huc ſua vertebant conſilia, ſuis a finibus vt peſtem illam, perniciemque auerterent. Proditum id tabulis, quæ hac de re dominica poſt anniuerſariam Pauli ad Chriſtum conuerſi memoriam fuerunt exaratæ.

Epiſcopum Vormatienſe confirmat.

3) Vere ſequenti Wormatiæ *Reinhardum* de *Sickingen* in locum *Friderici* Antiſtitis fato ſuo nuper functi ſurrogarant ædis primariæ Canonici. Supererat, vt quem elegerant, veteri more ac inſtituto ſollemniter confirmaret Metropolitanus. Adeunt ergo Theodericum; qui votis ipſorum haud difficulter reſpondens, *Reinhardum* Ehrnfelſæ die XXVII Iulii laudato cæremoniarum ordine probauit. Interfuere ſollemnitati *Cuno*, Abbas Seligenſtadenſis, *Volpertus* de *Ders*, Moguntiæ ædis maioris Scholaſticus, *Ioannes* de *Lyſura*, Collegiali B. M. V. *ad gradus* Præpoſitus, *Henricus Leubing*, Præpoſitus ad D. Mauricii, *Heluicus* de *Boppardia*, ad D. Stephani Canonicus & in ſpiritualibus Vicarius generalis, *Ioannes Schwvert*, ad eandem D. Stephani Scholaſticus, & curiæ eccleſiaſticæ Iudex, *Fridericus Greiffenclavv* de *Volrats*, Miles, nonnullique alii; omnes ad Theoderici latus ſedentes; tum vero *Bernoldus* de *VVittſtatt*, Decanus Vormatienſis, *Rudolfus* de *Rüdesheim*, Præpoſitus D. Pauli, aliique numero plures, fide digni, vt teſtes ſpeciatim vocati.

Elegerant quidem die Maii XXVIII Ludouicum *ab* Aſt, *I. V. D. & tum ædis cathedralis Præpoſitum. Sed is, ſpatio quatuor hebdomadum ad deliberandum ſumto, poſt menſem honores ſibi delatos refugiebat. Noua igitur Præſuli deſignando comitia poſt indicta. Ad quæ cum conueniſſent* Bernoldus *de* Wittſtatt, *Decanus*, Rudolfus *de* Rüdesheim, *Decretorum Doctor, Præpoſitus S. Pauli*, Ioannes *de* Monte Martis, *Scholaſticus*, Wipertus *de* Franckenſtein, *Cantor, itidem Decretorum Doctores*, Ioannes Ladebaum, Ludouicus Schenck, Dietmarus *de* Dreyſa, *Decretorum Doctor*, Georgius *de* Lapide, Conradus *de* Werda, *Doctor in Medicinis*, Eberhardus Phyl, Ioannes Krieg, Rabanus *de* Menzingen, Ioannes Willich, Reinhardus *de* Helmſtatt, Winandus *de* Siberg, Ioannes Rapolt, *vterque Decretorum Licentiatus*, Conradus *de* Sickingen, & Bartholomæus *de* S. Trudone, *Decretorum Doctor, omnes ædis dictæ Canonici, viſum interpoſito velut compromiſſo ſtare arbitrio* Bernoldi *Decani*, Ioannis *de* Monte Martis, *Scholaſtici*, & Bartholomæi *de* S. Trudone; *qui miſſis dein ſuffragiis Antiſtitem, vt dictum, ſalutarunt* Reinhardum *de* Sickingen.

Eichſtadenſem itidem.

4) Eadem cæremoniarum dignitate adhibita Aſchaffenburgi die menſis Octobris XXVI *Ioannem* de *Eych*, I. V. D. eccleſiæ Eichſtadenſis Canonicum, & Wezflariæ ædi beatiſſimæ Virginis Mariæ honori dicatæ Præpoſitum, poſt *Alberti* de *Rechberg* exceſſum Eichſtadii ad Epiſcopatus euectum culmen, in frequenti virorum maxime venerabilium, generisque nobilitate clariſſimorum corona, confirmauit.

V Anno MCCCCXLVI Moguntinus Decanus, *Petrus Echter*, aliique Domini, religione adducti, Theoderico perſuaſerunt, vt bonis quibusdam Hôchſtanis, quæ ab Albanis accepiſſet, cederet. Eodemque anno cum Antonianis de aliis quibusdam Francofordiæ contractum reſcidit *.

* 1) Quod rem quandam olim cum Antonianis contractam Francofurti hoc anno reſciderit, mihi ſane haud occurrit. Id vero ſatis liquet, errare auctorem, dum ſcribit, eum *Petri Echteri*, aliorumque ſuaſu eodem hoc anno (MCCCCXLVI ſcilicet) bonis quibusdam Hôchſtenſibus, quæ Albanenſium olim fuerint, ceſſiſſe. Ex iis enim, quæ n. 8 ad § III dicta ſunt, patet, Theodericum ea, conſentientibus *Petro Echtero* Decano, ceterisque maioris domus Canonicis, *D. Antonii* ſodalibus anno MCCCCXLI attribuiſſe. Quibus (vt hoc magis conſtet, auctorem hic alucinatum) addo, *Petrum Echterum* iam anno MCCCCXLII (vt diſerte habetur in epitaphio eiusdem) ſupremum vitæ diem expleuiſſe.

Francofurti Electorum intereſt con-

2) Viſum autem Electoribus, tempore anniuerſarii Chriſtianorum ieiunii conuenire Francofurtum. In cauſſa fuit Eugenius. Cum enim

nentui.

enim Trenireńsis & Colonienſis anno ſuperiori alienos ab eo animos oſtendiſſent, is ambos excommunicationis, vt vocant, cenſura notauit, ſacrorumque expertes iudicauit munerum. Sua igitur intereſſe putabant, quantocius coire, & quid, in re tam ardua grauique, conſilii capiendum ſit, prouide diſpicere. Affuit die præſtituto Theodericus, ac id egit, vt quam maxime diceret, quod in rem erat cum eccleſiæ, tum reipublicæ. Quæ tum communi conſtituta fuere ſententia, duæ nobis explicant tabulæ, vno eodemque die, qui Lunæ poſt dominicam *Oculi* fuit, editæ. Alteris nimirum ſtatuunt, mittendos ad Eugenium Legatos, qui peterent, nationis Germanicæ tolleret onera, & auctoritatem Conciliorum, ſecundum ſynodi Conſtantienſis decretum, profiteretur: quod ſi poſtulatis haud annueret, tum in Amadei, quem *Felicem V* appellabant, obſequium transeundum. Alteris nouo ad mutuam concordiam, defenſionemque ſe obligant fœdere. Vtrasque, iure iurando conceptiſſimis verbis interpoſito firmatas, habet *Müllerus* l. d. *Illas*, cap. XXIII § 3 p. 278 & ſeq. *iſtas*, cap. XXIV § 13 p. 305 & ſeq.

Albertum Auſtriacum cum Ciuitatibus Helueticis componit.

3) Hæc inter odiis adhuc armisque inter ſe commiſſi erant *Albertus*, Auſtriæ Dux, Tigurinis tum ſociatus, ex vna, & Heluetiorum Ciuitates (*Schulteis, Rat, vnd gemeine Burger zu Berne, Solleturn, Lucern, Lantman vnd Lantlute zu Vre, zu Schvvize, Vndervvalen oben vnd niden dem Hernvvalde, Amman, Rate, vnd Burger der Stat Zueg, Glaris, Appenzel*) ex altera parte. Vt poſitis iis in concordiam redirent, omni ſtudiorum contentione laborabat *Ludouicus* Rheni Palatinus, Elector. Idem precibus vrgebat Treuirenſis: cum maxime vero *Theodericus*. Quorum etiam opera tandem ita proceſſit negotium, vt Conſtantiæ de bello componendo agi inciperetur. Pacificatum a *Theoderico* miſſi aderant Legati *Dietherus* de *Iſenburg*, Dominus *in* Büdingen, nec non *VVipertus* de *Helmſtatt*, aulæ Præfectus; a *Ludouico* vero, *Eberhardus* de *Stetten*, Magiſter Ordinis Teutonici, *VVilhelmus* Comes *de* Wertheim, *Crato de* Hohenloe, *Georgius* Dominus *de* Ochſenſtein, *Ludouicus* ab *Aſt*, Præpoſitus Wormatienſis, *Fridericus* de *Flersheim*, *Vlricus* de *Menzingen*, Miles, *Henricus* de *Fleckenſtein*, *Ioannes* de *Gemmingen*, *Dietherus* de *Sickingen*, *Vlricus* de *Ratſamshauſen*, *Vlricus* de *Roſenberg*, *Michael* de *Mosbach*, & *Petrus* de *Dalheim*: ab Epiſcopo *Baſileenſi*, Ciuitatibusque *Argentoratenſi*, *Auguſtana*, *Norimbergenſi*, *Conſtantienſi*, & *Vlmenſi* alii: quorum ſtudio & labore die Iouis poſt almæ Pentecoſtes ſollemne res, inducta irarum noxarumque obliuione, tranquillum in locum rediit.

fœdus contra praedones facit.

4) Quæ vero Germaniæ tum erat infelicitas, itinera paſſim obſidebat, ac prædationibus quam infeſtiſſima habebat innumera hominum vagorum ac per latrocinia & rapinas vitam tolerantium multitudo. Quæ cum indies creſceret, omnibusque metuenda eſſet, vt pernicioſiſſimum hoc hominum perditorum genus iunctis diſſiparent viribus, ac prouinciis ſuis exturbarent, enitendum ſibi ſtatuebant Principum plurimi; in his primo facile loco, pro ſuo in tuenda ſecuritate publica ſtudio, Theodericus. Hinc ſocietatis, auxiliique contra eos mutui fœdus initum; cui præter *Ludouicum*, Rheni Palatinum, Principem Electorem, *Albertum* Ducem Auſtriæ, *Othonem* Mosbacenſem, *Ioannem* & *Albertum* Marchiones Brandenburgenſes, *Iacobum* Marchionem Badenſem, *Ludouicum* & *Vlricum*, fratres, Comites Wirtembergenſes, & ipſe nomen dedit. Res acta Schorndorfii, in agro Wirtembergico, Mercurii poſt diem D. Vlrici ſacratum honori.

fraternitatem corporis Chriſti Salfeldæ inſtitutam confirmat.

5) Ceterum ſuperiori anno *Salefeldæ*, quod oppidum Thuringiæ haud ignobile eſt, quidam pietatis incenſi ſtudio in ſacram quandam coiuerant ſocietatem. Vocabatur illa *fraternitas pretioſiſſimi & excellentiſſimi corporis D. N. I. C.* Finis erat, vt honori & cultui ſacratiſſimi corporis Chriſti hoc magis intenderent; qua etiam de cauſſa, certo de rebus ac poſſeſſionibus ſuis cenſu ad id deſtinato, conſtituerant, in poſterum quot hebdomadibus, feria ſemper quinta, in æde D. Ioannis Miſſæ de ſacramento Euchariſtiæ officium ſollemniter a fratribus decantandum; id ipſum vero in ſpectabili quadam ac pretioſa arcula in ara ponendum, collocandumque, nullo velamine obtenſo, vt ita præſentium oculis bene diſtincteque ſubiiceretur (*in notabili*, vt verba diplomatis habent, *& pretioſa Monſtrantia, ita & taliter, quod viſibiliter & apparenter oculo ad oculum nullo velamine appenſo cerni poterit atque intueri*) Hanc ſodalitatem vt ſua Theodericus ſtabiliret auctoritate, fratres petebant. Qui haud ingratam ſibi eorum pietatem eſſe teſtatus, inſigni diplomate, Francofurti die XVIII Septembris dato, eandem non confirmauit ſolum, verum etiam aliquot dierum indulgentiis ad noxæ leuioris piacula liberaliter additis cohoneſtauit.

in conuentu Francofurtenſi partibus Eugenii ſub certis conditionibus accedit.

6) Reuerſis interea, quos ad Eugenium Septemuiri miſerant, Legatis, nouus, vt conſtitutum erat, Francofurti coactus Principum Electorum, aliorumque vtriusque ordinis Procerum cœtus. In quo cum noſter, ab Aenea inductus Siluio, de priſtino conſiliorum deflexiſſet curſu, factum, vt Germania denique manus daret, & Eugenium ſeſe ſecuturam profiteretur, ſi, quemadmodum per *Ioannem Carvaial* & *Nicolaum Cuſanum* ſpem fecerit, vniuerſale Concilium tempore opportuno in vna ex quinque vrbibus nuper denominatis ſe celebraturum promitteret; tum vero Baſileenſis ipſe Concilii decreta laudaret, rataque & firma ſciſceret, quæ ſalubriter Patres ordinaſſent; & tandem nationis Germanicæ tolleret onera. *Gobellinus* lib. I commentarior. Pii II p. 12; *Moguntinus, qui fœderi aliorum Electorum & pro ſe & pro Frederico Brandenburgenſi ſigillum appenderat, rogantibus Oratoribus Cæſaris, vt ſententiam mutaret, non erat inuitus, id ſi certa poſſet*

ratione tueri, ne promissi violator videretur. Tunc Aeneas bono animo Collegas esse iussit, quod Moguntino facile satisfaceret: noctem ipse insomnem duxit, atque ex notulis Principum, secundum quas Eugenium litteras dare volebant, alias notulas composuit, omni expresso veneno, quod Eugenius abhorrebat, sententiasque omnes extendit, per quas & nationi prouideretur, & Archiepiscopi restituerentur. Quibus peractis eas ostendi Moguntino iussit, sibique dici, voluntatem Caesaris esse, secundum eas notulas Eugenium nationi prouidere; neque dubitandum esse, quin illa ex eius Sanctitate possent impetrari, si rursus ad eum mitterentur Oratores. Visa est res Moguntino & sufficiens & iusta: moxque cum Imperialibus & Archiepiscoporum Magdeburgensis, Bremensis, & Salzburgensis, & Frederici Marchionis, multorumque aliorum Principum Legatis fœdus iniit, vt notulae, quas Aeneas confecerat, sigillis omnium munirentur, mitterenturque Romam. Quod sentientes Electores, ceterique Principes, animo consternati, non sunt ausi contra niti: nationis enim pars maior notulas sequebatur Aeneae.

formula, vna cū aliis, subscribit.

5) Formulæ, de qua *Gobellinus*, Lunæ post sollemnem D. Francisci memoriam subscripsere; *Theodericus*, *Petrus* Episcopus Augustanus, *Siluester* Episcopus Chimseensis, *Iacobus* Marchio Badensis, *Albertus* Marchio Brandenburgensis. Nomine locoque *Friderici* Imperatoris, *Caspar* Dynasta Weiskirchensis, Cancellarius, *Aeneas Siluius*, Canonicus Tridentinus, *Hartungus* de *Capelle*, I. V. D. Loco *Friderici*, Electoris Brandenburgensis, *Petrus Knorr*, Præpositus Wetzlariensis, & *M. Fridericus Sesselmann.* Loco *Friderici* Archiepiscopi Salisburgensis, *M. Fridericus Greve*, Cancellarius, & *M. Ioannes Hesse.* Loco supremi *Ordinis Teutonici* Magistri, *M. Andreas*, Parochus Gedanensis, & *Ludouicus* de *Erlickhusen*, Præfectus Leippensis (*Voit zur Leip*) Loco Antistitis *Bambergensis*, M. *Henricus Leubing*, D. Parochus ad D. Sebaldi Norimbergæ, & M. *Ioannes Thavver.* Nomine Episcopi *Passauiensis*, *Conradus Bladeck.* Nomine tandem *Constantiensis*, *Nicolaus Gundelfinger*, Vicarius in spiritualibus.

Lysuram mittit ad R. Pontificem.

6) Ipse vero Theodericus conuentu finito suo *Ioannem* de *Lysura* nomine, Legatis ad Pontificem euntibus adiunxit, reuerentiam Eugenio exhibiturus ac obsequium. *Gobellinus* l. d. p. 13, *Müllerus* l. d. § 13 p. 346.

Erfurti Petrenses reformat.

7) Hoc alioquin anno Erfurti *in monasterio D. Petri disciplinam restituit, atque reformationis Bursfeldensis regulas introduxit.* Ita *Gudenus* historiæ Erfurtensis lib. II § XXIII p. 135.

cum Othone Mosbacensi pacificatur.

8) Principio sequentis MCCCCXLVII nonnihil adhuc cum *Othone* Mosbacensi dissensit. Sed ipsis mox Theophaniæ feriis Mergenthemii in pristinum cum eo vsum rediit. Reconciliationis pararii erant *Albertus* Marchio Brandenburgensis, & *Iacobus* Marchio Badensis; quorum ille præsens aderat, hic legatos miserat *Conradum* Pincernam *de* Erpach, *Ioannem* de *Yberg*, & *Dietericum* de *Gemmingen.* Summa compositionis factæ huc redit; Moguntinæ ditionis homines Mosbaci, & Palatinæ Bischofsheimii ac Laudæ in captiuitatem ductos (cuius caussa inter se dissidere cœperant *Otho* & *Theodericus*) liberos dimittendos. Edit. I p. 875

a nouo Pontifice accipit litteras.

9) Eugenii, non longe post rebus humanis erepti, in locum mense Martio ingressus erat *Nicolaus V*; qui id Theoderico non solum litteris Romæ XII Kal. April. scriptis significabat, verum etiam ab eo expetebat, vt in vniuersa diœcesi Moguntina sollemnes supplicationes cum sacro Missæ, *de Spiritu S.* officio habendas, pro initi ab se Pontificatus felici administratione, decerneret. v. *cod. Dipl.*

monasterii Steina in ecclesiā mutat collegiatam.

10) Emendandis inde, aliumque in statum conuertendis monasterii B. M. V. *Steina* dicti, rebus curam impendit. Ordinis id erat D. Benedicti, initiaque sua referebat ad Ruthardum, Sedis Moguntinæ Archiepiscopum; tum vero Abbatum negligentia, malaque administratione ad eas rei familiaris deciderat angustias, vt nominibus exsoluendis haud amplius par videretur. Quo statu multis videbatur, ni in Collegialem mutaretur ecclesiam, ac aliunde necessariis fulciretur præsidiis, breui interiturum. Hoc Theodericus percepto, putauit acceptius fore Deo, si Clericis committeretur regendum, quam si penitus pessum iret, ac in profanos conuerteretur vsus. Statuit igitur, in ecclesiam id euehere Collegialem, & aliorum beneficiorum commodis augere. Quo fine *fraternitatem Calendarum* in oppido ad Werræ & Fuldæ confluentes, cui *Munden* nomen, huc transferendam ducebat. Quod cum ipse præsens ad exitum perducere haud posset, *Hermanno*, Episcopo Citrensi, suo per Saxoniæ & Thuringiæ partes in pontificalibus Vicario, nec non *Ioanni* de *Rengelderode*, Præposito Iecheburgensi, litteris Ehrnfelsæ ipso BB. Viti & Modesti die scriptis, mandatum dedit, id accurandi.

conuentui Aschaffenburgensi interest.

11) Mense Iulio sequenti, die Margaretæ Virgini ac martyri sacra, initium habuit conuentus, quem Cæsar Principibus Aschaffenburgum indixerat; vt illi quidem, qui Eugenio se submiserant, in obsequio erga successorem Nicolaum V firmarentur; isti vero, qui nondum accesserant, illius adducerentur ad voluntatem. In hoc Theodericus eadem fuit mente, qua superiori anno in Francofurtensi, ac Legatis Cæsareis, *Aeneæ* & *Hartungo*, vtilem in dissensionibus animorum penitus tollendis operam præstitit. *Müllerus* l. d. cap. XXVII § I p. 355 & § VII p. 359.

Herbipolensem cum Alberto Marchione pacificat.

12) Sub hæc *Albertus*, Marchio Brandenburgensis, *Godefrido*, Episcopo Wirzburgensi, partim nominum quorundam, partim iudicii ecclesiastici caussa, bellum moliebatur: Godefridus contra ad id fortiter sustinendum sese parabat, vt *Friseus* pluribus enarrat. Enimuero, cum iam ad vim & manus spectare viderentur omnia, pacis studio sese interponebat Theodericus; quo factum, vt compositioni litium amicæ locum partes relinquerent.

Edit. I p. 875

querent. Transactum autem in vico ditionis Herbipolitanæ Biebelriet, Lunæ post D. Iacobi. A Theoderico aderant *Conradus* Dynasta Winspergensis, *Henricus Leubing*, D. Parochus ad D. Sebaldi Norimbergæ, & *Conradus* de *Franckenstein*, Eques, Burggrauius Starckenbergensis; quibus se iunxit, missus a Norimbergensibus, *Bertholdus Volckamer*, Senatorii ordinis vir, celebrique apud Noricos gente patritia oriundus. Pacificationis summam refert *Friseus* l. d. cap. XXXVIII in *Godefrido* p. 811.

de ordinatione Godefridi edita sententiam fert.

13) Restabat, vt ipse, quemadmodum conuentum erat, de ordinatione iudicii ecclesiastici, quam *Godefridus* ediderat, ferret sententiam. Tulit igitur eam anno, qui hinc subiit, MCCCCXLVIII Miltenbergæ, &, vtraque parte sufficienter audita, Veneris ante dominicam *Oculi* appellatam, pronuntiauit, iuri eam æquitatique esse conformem, excepto vno capite (quod simul mutabat) atque adeo retinendam. *Friseus* l. d. capite XXXIX p. 811 & seq.

vicinos quosdam Principes & Nobiles componit

14) His transactis, domi tempus, negotiorum externorum vacuum, sibi suisque dedit rebus. Ne tamen annum prorsus finiret in otio, fecere, qui tum inter se contendebant, vicinorum quidam, *Stephanus*, Comes Palatinus Rheni, qui Biponti habebat sedem, *Fridericus* itidem Rheni Palatinus, *Iacobus* Marchio Badensis, Comitatus Sponheimensis Domini, *Albertus* de *Bervvangen*, *Ioannes Stumph* de *Simmern*, *Conradus Phyln* de *Vlnbach*, & *Nicolaus Russe* de *Ovvyler*, ex vna; ex altera vero parte *Ioannes Hirt* de *Schöneck*, suo, *Ioannes Hirt*, filii nomine, *Ioannes* de *Rulingen*, Dominus in Siebenborn & Dachstul, Eques, & *Ioannes* de *Dhern*. Hos enim in concordiam vt reuocaret, tranquillitatis publicæ studio ac amore, habebat pensi. Diem igitur iis dixit: quo caussa Aschaffenburgi discussa, dominica post D. Francisci in gratiam eos e discordia reduxit.

Rotenburgensibus & Halensibus bellū indicit

15) Vt arma anno sequenti MCCCCXLIX indueret, caussam præbuerant ciues vrbis Imperialis *Rotenburgensis* ad Tubarim, in finibus Franconiæ, & *Halensis* ad Cocharum in Sueuia. Ii quippe, animo elati, castro oppidoque *Nuvvenfels*, quod iuris erat Moguntini, haud parum dederant damni, nec, quamuis semel atque iterum moniti, se paratos demonstrabant ad satisfactionem de iniuriis illatis præstandam. Indixit autem ipsis bellum litteris dominica post sacram decollati Ioannis Baptistæ memoriam Aschaffenburgi signatis. Quod vt eisdem hoc maiore vi inferret, in adiutorium sibi adsciuit *Antonium* Episcopum Bambergensem, *Stephanum* Comitem Palatinum Rheni, Ducem Boiariæ, *Othonem* Mosbacensem, *Vvilhelmum* Ducem Saxoniæ, *Ioannem* & *Albertum*, Marchiones Brandenburgenses, *Iacobum* Marchionem Badensem, nec non *Vlricum* Comitem Wirtembergensem.

Norimbergēsibus itidem.

16) Ex his quum *Alberto* Marchioni tum temporis cum Norimbergensibus bellum intercederet, Theodericus, socii adiuturus partes, eisdem se quoque hostem Veneris post B. M. V. natalem missis professus diffidatiis est.

sacellum oppidi Steinheim in parochialem euehit.

17) Interim tamen de ecclesiæ rebus procurandis nil quicquam consueti remisit studii: quod vel oppidani Steinheimenses commodo suo fuere experti. Erant ii paræciani ecclesiæ in villa cognomine haud procul adiacente. Turbulentis autem istis temporibus sacris vix sine periculo interesse poterant. His vt eos molestiis leuaret, sacellum oppidi, tabulis Aschaffenburgi die Octobris XXI editis, in parochialis euexit dignitatem, translatis in istud omnibus vicinæ illius iuribus ac priuilegiis. Consensere, quos res ista tangebat, *Cuno* Abbas Seligenstadensis, Collator, vt vocant, *Conradus Bez*, parochialis Curio, sacellique oppidani Rector *Hartvvinus Trutman*.

Vnionem confirmat Bursfeldensem.

18) Ceterum eodem hoc anno celebrem illam & tantopere laudatam cœnobiorum Ordinis D. Benedicti quamplurium societatem, ad statum monasticum secundum Bursfeldensis asceterii disciplinam formandum initam (*Vnio Bursfeldensis* vulgo appellatur) *pro vniformi regularium institutorum obseruatione* confirmauit. *Leuckfeldius* antiquit. Bursfeldens. cap. II § XV p. 44.

cum Rotenburgensibus & Halensib⁹ pacem facit.

19) Postero, qui Christi nascentis MCCCCL fuit, bello cum Rotenburgensibus ac Halensibus, de quo paullo ante, finem imposuit, pactione pacifica Bambergæ Lunæ ante festum Ioanni Baptistæ diem iiscum facta. Compositionis auctores fuere *Godefridus* Antistes Wirzburgensis, *Silvester* Episcopus Chimseensis, *Fridericus* C. P. Rheni, Palatinatus tum Administrator, *Ioannes* de *Nyeperg*, & *M. Vlricus Ryeder*, Cæsaris; *Georgius* Comes Hennebergensis & *Georgius Fuchs* in *Schvveinshaupten*, Godefridi; *Iodocus* de *Venningen*, Ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam Magister, *Hesso*, Comes Leiningensis, *Petrus* de *Thalheim*, & *Vlricus* de *Rosenberg*, Friderici Palatini; *Ioannes Thustier*, Præpositus ædis cathedralis Vratislauiensis, Friderici Archiepiscopi Salisburgensis; *Otho Pintzenauer* in *Kempnaten* & *Iacobus Puterich* in *Richartshusen* Alberti Boiariæ Ducis Legati, Administri, ac Consiliarii. Conf. *Friseus* chron. Wirzburgens. in *Godefrido IV* cap. XXIII p. 805.

infactas obreptiue beneficiorum, clausstrorumque incorporationes inquirit.

20) Vsque dudum autem intellexerat, esse in diœcesi Moguntina, qui multas, variasque diuersorum monasteriorum, clausstrorum, dignitatum, officiorum, ecclesiarum, beneficiorum, ac altarium incorporationes, vt vocant, ac vniones, neglecto iuris ordine, clam omnino atque obreptiue impetrarint, obtinuerintque. Id prolixius cum scire vellet, ac curatiori examine, vt res habeat, explorare, litteris Aschaffenburgi feriis memoriæ Ioannis Baptistæ decollati dicatis, ad Abbates, cœnobiorum Rectrices siue Abbatissas, nec non Præpositos ecclesiarum ac Decanos per ciuitatem ac diœcesin Moguntinam datis, mandauit, vt intra sexaginta dierum spatium, mo-

nasteriis suis ac ecclesiis a triginta annis incorporatorum siue adunatorum beneficiorum ac officiorum, aliorum itidem clausstrorum atque ecclesiarum accuratam edant designationem, eamque vna cum primigenia scriptura litterarum ac tabularum super istis confectarum, *Sifrido* Episcopo Cyrenensi, & *Paulo*, ecclesiæ ad D. Ioannis Decano, quibus ipse negotium hoc commiserit, sine vlla fraude aut recusatione exhibeant.

disceptationem cũ Magistro Ord. Teutonici finit.

21) Disceptabat adhuc, cum annus MCCCCLI orbi christiano illuxisset, cum Magistro Ordinis Teutonici per Germaniæ & Italiæ partes, *Iodoco* de *Venningen*. Dissidii caussam materiemque pacti conuenti formula hanc nobis narrat, quod Theodericus, dum parœciis, cœnobiis, sacellis suam per diœcesin pecuniæ, quando vsus erat, iubebat subsidia *(subsidien vnd procuracien)* ea ab iis etiam postularet, quæ intra fines Ordinis erant; *Iodocus* vero ab his ea dependi nollet. Sedenim, vt pacifica transactione intercueniente ad tranquillitatem aliquando res deduceretur, pensi ipse habebat; nec abnuebat alter. Ita factum, vt Aschaffenburgi die Mercurii Fabiani & Sebastiani celebritatem subsecuto ad pactionem ea veniret.

Francofurtenses recipit in gratiam.

22) Id agentem sibi quoque propitiandum censebant Francofurtenses, qui non vno modo ipsius in se prouocarant indignationem (*von der geschicht an dem Abt zu Selgenstat, vnd an sinem hus zu Giselbach, vnd von des Schloss Rödelheim vvegen begangen*, vt *Dietheri* Isenburgensis, successoris, litteræ anno MCCCCLIX datæ habent) Haud difficilem se præbuit Theodericus; quin amica conuentione Steinhemii dominica *Quasimodogeniti* facta non reditum modo in gratiam eis aperuit, verum etiam pollicitus est, se commodis illorum, in prouehendis tuendisque nundinis, velificaturum, nec permissurum, vt suis in terris scienter receptentur eorum hostes.

a partibus Lüzelsteiniorum stat

23) Ceteroqui tum a caussa *Iacobi* & *VVilhelmi*, Comitum Lüzelsteinensium, fratrum germanorum, aduersus *Fridericum* C. P. Rheni, Tutorem Philippi pueri, Electoratus heredis, animo haud erat alieno. Cum enim ad D. Laurentii ferias dies isti disceptandæ Spiram indictus esset, non affuit modo, verum etiam ab iis, vna cum Badensi, Leiningensi, & Dynastis Liechtenbergensibus stetit. *Lehmannus* chron. Spirensis lib. VII cap. C p. 845.

Synodum celebrat.

VI Synodum, ad prolapsos Cleri populique mores erigendos, conuocauit; quam Pontificis Legatus, Cardinalis ad vincula S. Petri & præsentia & auctoritate sua confirmauit.

1) Habuit autem eam hoc, quem nunc finimus, anno MCCCCLI, vti auctor lib. I cap. XXXIII p. 142 diserte notauit, inchoauitque dominica post festum Martini Episcopi. Habitam confirmauit Cardinalis *Nicolaus*, Cusæ in Treuiris natus, die Veneris, quæ tertia erat Decembris. *Lyserus* dissertat. de Conciliis Moguntinis § XXXIX p. 37, *Schmidius* de iisdem num. XXXV.

de instauratis cœnobii S. Ioañis in Rhingauia rebus agit.

2) Inierat autem annus salutis instauratæ MCCCCLII, cum de collapso monasteriorum sua in diœcesi statu restituendo seriam suscepit cogitationem. In his statim occurrebat, quod in Rhingauia *D. Ioannis* honori dicatum est, & cum in monte sit situm, vulgo *Bischofsberg* appellatur. Cœnobitæ enim, cum diu satis a prisco integritatis vsu dilapsi, suo morem gessissent animo, vitiorum & mundanæ contagionis dediti illecebris, tum quidem aliorum incitati exemplo, ad veteris religionis cultum incœperant se reuocare: adesis autem per luxum & negligentiam fortunis in tanta erant egestate, vt, ni aliunde subleuarentur, vnde victitarent, penitus nescirent. Quod sane Theoderico tantæ erat ægrimoniæ, quantæ istud iucunditati. Ad pedem montis sanctimonialium iacebat clausstrum, *Clusa* vulgariter dictum: quod reducendæ cœnobitarum in mores sanctiori disciplinæ haud parum videbatur officere. Id vt Theodericus vna cum vectigali censuque perpetuis illorum vsibus attribueret, transscriberetque, erant, qui suaderent, plurimi, sic fore persuasi, vt his fratres leuentur difficultatibus, sensimque reualescant. *Rudolfo* igitur de *Rüdesheim*, Collegii apud Vangiones primarii Decano, *Hermanno Rosenberg*, suo in ecclesiasticis Vicario, nec non *Henrico*, monasterii ad D. Iacobi in monte speciosо Priori, litteris Aschaffenburgi sabbato post D. Matthiæ scriptis, in mandatis dedit, vt in rem, quanta possent diligentia, inquirant, & si intelligerent, ita, vt dicebatur, esse comparatam, tum ipsam accurent ac ad effectum deducant.

de disciplina item in monasterio Klingèmünster restituenda.

3) Inde oculos intendit in cœnobium, cui nomen *Klingenmünster*, situm, vt suo iam dictum loco, in finibus Alsatiæ inferioris, haud procul Landauia. Subiectum id erat Benedictinæ alumnis familiæ; sed qui, non secus ac plerique alii, a pristino virtutis desciuerant tramite, neruoque disciplinæ excusso, vitam agebant legibus, in quas iurarant, prorsus non congruentem. Hos, graui reprehensos sermone, serio hortatus est, vt quantocius meliorem ad frugem sese recipiant, eaque contentione ad priscum viuendi componant ritum, vt exemplis testibus perspicuum fiat, ad vitæ incorruptæ, modestiæque ipsos rediisse officia: ad quod, litteris Aschaffenburgi quarto Aprilis die scriptis, trium mensium iis præstituebat spatium atque interuallum.

Clusam monasterio D. Ioannis vnit.

4) Enimuero, quæ aliquot ante mensibus *Rudolfo* de *Rüdesheim*, *Hermanno Rosenberg*, & *Henrico* Priori in mandatis dederat, hæc ii diligenter exequenda rati, qua par erat fide de statu *Clusæ* inquisiuere, perspectoque, inclusarum & fortunas esse attritas, & mores exempli minus recti, nil horum Theoderico celarunt. Qui proin, hoc confirmatior in proposito factus suo, *Luberto* Abbati ad D. Iacobi in monte, *Rudolfo* item & *Hermanno* dictis, nec non *Ioanni Menzer*, Præposito Dorlonensi & Sigillifero Moguntino, peculiari mandato, Vormatiæ die VII Septembris consignato,

Edit. I p. 875

signato, commisit, vt sine vlteriori mora *Clusam* memorato *D. Ioannis* in monte monasterio incorporent siue iungant; facta simul iis potestate, Abbatis ac Fratrum mores denuo inspiciendi, indignos cœtu eiicendi, contra alios aperta, simplice, rectaque vitæ forma introducendi; paucis, quicquid rebus cœnobii expedire viderint, id omne ordinandi, statuendique; Sanctimonialibus vero facultatem dedit, alio sese transferendi. Prolixe fecerunt illi, quæ imperauerat, & ne Rectrici Lucardi (*Luckele* de *Svvalbach*) esset, quod quereretur, rem eo deduxere, vt Abbas ei ad dies vitæ annuos quinquaginta florenos se depensurum, ore, manuque Saturni post sacrum sanctæ Crucis exaltatione diem polliceretur. Conf. *Trithemius* annal. Hirsaug. ad an. MCCCCLIII, ad quem ipse, licet non adeo bene, rem profert, p. 425.

cum Mosbacensibus cõponitur.

5) Dum hæc agebantur, implicatus erat quodam cum Palatinis Mosbacensibus, *Othone* seniore & *Othone* iuniore, nec non Canonicis Mosbacensibus dissidio: cuius componendi gratia *Ludouicus* Palatinus Rheni, Elector, & *Albertus* Marchio Brandenburgensis olim iam vtrisque diem præfiniuerant, Besighamii, quod agri Wirtembergici oppidum est, obeundum: tum vero, alium, quo anno sequenti MCCCCLIII Heilbronnæ ad Nicrum adessent, nunc indicebat Marchio Badensis *Iacobus*. Cuius etiam labore illic, re omni discussa, controuersiæ Iouis post dominicam *Exaudi* finis constitutus fuit.

priuilegia Vnioni Burs feldensi a Cusano data confirmat

6) Quanti vero Bursfeldensis monasterii faceret disciplinam; cum alias, tum sane anno, qui nunc sequitur, MCCCCLIV fecit testatum. Quæ enim *Nicolaus Cusanus* societatis secundum eam initæ Fratribus anno superiori indulserat priuilegia, hæc ipse Seligenstadii, in congregatione Abbatum Ordinis, mense Maio, propensa maxime confirmauit, rataque habuit voluntate. *Leuckfeldius* l. d. § XVI p. 45.

Bernhardo Badẽsi feuda confert.

7) Ceterum obierat anno præterito Marchio nobis dictus, Badensis, *Iacobus*, relictis duobus filiis, auiti Principatus heredibus, *Bernhardo* & *Carolo*: qui cum nossent, castrum *VVeisenstein* & Præturam *Pforzheimensem* (das Schultheissen-ambt zu Pforzheim) clientelari nexu Sedi Moguntinæ deuincta esse, hoc anno insigni Consiliariorum & nobilium virorum comitatu stipati, Theodericum Pfedershemii adiere: quorum *ille* beneficia dicta sollemni ritu sibi conferri reuerenter petebat; *iste* vero publice testabatur, Bernhardo ea a patre in vltimæ voluntatis tabulis fuisse attributa. Theodericus pro suo, quo in domum Badensem semper fuit animo, statim annuit, ac in frequenti virorum munerum iuxta dignitate ac natalium splendore illustrium corona fiduciario iure Bernhardo ea concessit. Qui tum sollemnitati isti præter ceteros interfuere, *Ioannes* Comes Nassouiæ, *VVilhelmus* Comes Wertheimensis, *Conradus* Dynasta Bickenbaci, *Philippus* Pincerna Erbacensis, *Franco* de *Cronenberg*, senior, *Ioannes* de *Erlenbach*, aulæ Moguntinæ Præfectus, *Godeschalcus* de *Buchenau*, Marescallus, *Ioannes* de *Hulshoven*, *Bernhardus* de *Svvalbach*, & *Ioannes* de *Hedersdorf*, litteris suis testantur, hæc acta Mercurii post diem Ioannis Baptistæ celebrem memoria.

cum Wirzburgensi de quibusdam pacificatur capitibus.

8) Quamuis autem cum ipse tum Godefridus, Antistes Wirzburgensis, fœdere anno superiori Veneris post dominicam *Reminiscere* inito, iuncti erant, nihilo tamen secius dissensionis quid eos inter hisce exortum diebus est. Capitum, ex quibus id natum fuit profectumque, erant quatuor vel quinque; ex quibus duo adferre liceat; erant enim potiora; vnum quidem de debito mille florenorum, quos Theodericus olim *Ioanni*, Godefridi decessori, ad vitæ necessitates mutuo dederat; alterum de iudicio Episcopatus Wirzburgensis prouinciali, & Centæ, quæ vocant, iudiciis, in locis Sedi Moguntinæ subiectis. Id ne amicitiam labefactaret vel dissueret, vterque præcauendum statuebat. Delecti igitur e Consiliariis principes, qui rem in tranquillum conferrent; quod & profesto D. Laurentii martyris auspicato factum. Fuere ii *VVilhelmus* Comes Wertheimensis, *Conradus*, Dominus Bickenbaci, *Ioannes* de *Erlenbach*, aulæ Moguntinæ Magister; *Ioannes* Abbas ad D. Burchardi extra mœnia Wirzburgensia, *Georgius Fuchs* in *Schvveinshaupten*, aulæ Herbipolensi Præfectus, & *Georgius Fiscellinus* siue *Fischle*, Equites.

monasterium Flonheimẽse mutat in Collegiatam

9) Lite hac composita, id maxime in rebus necessariis habebat, vt negotium, quod monasterium *B. M. V. Flonheimense* spectabat, conficeretur. Erat id Ordinis D. Augustini, in vico cognomine, a Comitibus Silueſtribus olim, religionis bono, conditum ditatumque: temporum horum malignitate vero collapso maxime statu. A multis namque annis nec Præpositus nec Canonicorum quispiam votis religioni debitis se rite plenarieque obstrinxerant, nec vllo induci poterant modo, vt istis vel nunc tandem sese obligarent: nemo ab hominum memoria tirocinium posuerat legibus præscriptum: omnes Pontifici supplicarant, vt cœnobium verso statu mutaret in ecclesiam Collegialem: quorum precibus *Ioannes* & *Gerhardus*, Comites Silueſtres, suas iunxerant. Quibus *Nicolaus* permotus, bulla Romæ anno superiori III Kal. Ianuar. edita Theoderico negotium dedit, vt hac de re sedulo inquireret, compertoque, sic se habere, monasterium dictum, ordine statuque Canonicorum, vt vocantur, Regularium exstincto, conuerteret in Collegiatam, Præposito & sex Canonicis instructam: Comitibus Silueſtribus vero ius patronatus ac facultatem personas idoneas Præposito & Collegio deinceps præsentandi concederet. Acceptis his ille tabulis, *Hermanno Rosenberg*, suo in rebus ecclesiasticis, vt supra dictum, Vicario, & *Ioanni Lorch*, Decretorum Doctori, die V Septembris demandauit, vt Pontificis ex sententia rem hanc rite explicatam darent.

Francofurtensibus comitiis interest.

10) Postea Francofurti in Comitiis ad decernendum aduersus Turcos bellum, cuius gratia Fridericus ea instituerat, *Aeneæ Siluii* erectus oratione, sua cum Cæsare iuxta Pontificeque consilia studiose iunxit. Accesserat enim

ad ea. *Mullerus* l. d. sectione II cap. IV § 4 p. 474.

Fechenbachium cum Ciuitatibus Sueuiæ componit.

11) Anno præcipite *Philippus* de *Fechenbach* suo, fratrumque nomine inimicitias exercebat cum fœderatis in Sueuia ciuitatibus Imperialibus. Caussabatur, quæ iure postulasset, ab iis se haud impetrasse. Theodericus, ne res in maiores turbas excresceret, vtrisque post sequentis MCCCCLV initia diem constituit, quem cum Bischofshemii obirent, edixit, vt noxarum inducerent obliuionem, ac captiuos sine vllo lytro (præcedente tamen de non vindicando cautione) vtrinque haud cunctanter dimitterent. Qua sententia se staturos, die Ionis post purificatæ Virginis ferias Fechenbachius pariter ac ciuitatum legati spopondere.

ad bellum aduersus Palatinum se parat.

12) Sequentibus diebus ad simultates cum *Friderico*, Comite Palatino Rheni, delapsus, in turbas coniectus est, bellique motus. Nec enim audiendi sunt, qui rem integro biennio, immo decennio præcipiunt. Caussas dissensionis ex pacti conuenti formula (de qua post) has colligere licet, quod ipse non secus ac Bipontinus, Badensis, aliique Friderici, cum Septemuiralem iniisset vel potius inuasisset dignitatem, improbarit conatus, ac simul suspectarit potentiam. Nec abeunt *Trithemius* chron. Hirsaug. ad an. MCCCCLII p. 425, &, qui mser. nobis est, *Hachenbergius* de vita Friderici lib. II. Theodericus, vt belli discrimen hoc maioribus adiret viribus, illius in societatem sibi adsciuit quamplures, qui potentia valebant, ac inclitum domi, militiæque nomen ista ætate sibi pepererant; in his *Othonem* Comitem Hennebergensem, *Sigismundum* Comitem Glichensem, *Brunonem* Dominum Querfurti, *Michaelem Seinshemium*; L. B. *de* Schwarzenberg, *Philippum* de *Herde*, *Conradum* de *Steinruck*, *Fridericum* de *Crombach*, *Henricum Riedesel*, *Iacobum* de *Anglachen*, *Godefridum* Pincernam *de* Schweinsberg &c. ab singulis certum sibi equitum stipulatus numerum. Enimuero, cum hinc ipse, inde Fridericus iam vexillum, quo copiæ concurrerent, proposuisset, *Iacobus* Treuirensis sua intercessit auctoritate, atque vt ab armis discederent, effecit. Adi *Brouverum* annal. Treuirensium lib. XIX ad an. MCCCCLIII § XC p. 287; quem tamen ex his & sequentibus interpreteris, necesse est.

ab armis discedit.

Procuratorem legati a Rege Cypri missi in custodiam dat

13) Interea *Ioannes*, Cypri Rex, grauiter a Saracenis pressus, modisque exercitus variis, *Paulinum Zapp*, Nicosiensem, Scutiferum & Consiliarium suum, in diuersas orbis Christiani partes miserat, vt *ad defensionem regni Cypri contra perfidos crucis hostes, & impiissimos Theucros, paganos, & Saracenos, immanissima feritate terras & Christianorum loca, & præcipue Cyprum hostiliter inuadentes*, Nicolai V P. M. beneficio ac permissu eleemosynas colligeret. *Zappius*, has in oras delatus, *Ioannem* de *Castro Coronato*, L. L. Licentiatum, constituerat, qui in partibus Alemanniæ indulgentias, a Papa Romæ pridie Id. Aug. anno MÇCCCLI concessas promulgaret, stipemque in belli sacri sumtum cogeret. At is sua intemperantius vtebatur pote-

Edit. I p. 875

state. Theodericus, intelligens, multum damni hac ratione redundare in rem tam ecclesiasticam, quam ciuilem, cum prisca Princeps esset integritate, tum vero inclitæ virtutis & vigilantiæ Præsul, hominem in custodiam duci iussit, ære congesto in fidem publicam deposito. Produnt id nobis litteræ *Abelis Kilchofii* & *Philippi Vri*, Cyprii, Procuratorum a *Zappio* constitutorum, de pecunia cum Theoderico partienda transigentium, datæ Saturni post B. Virginis natalem.

Maioris lucis caussa, litterarum, quibus *Ioannes Paulino* fidem fecit, initium & clausulam, cum lectu non iniucunda sint, proferre iuuabit. Illud sic habet: *Notum sit, & euidenter pateat, quod cum Sereniſſimus Princeps & Excellentiſſimus Dominus, Dominus* Ioannes, *D. G. Iheruſalem, Cyprique & Armenie Rex, in preſencia Magnificorum & Potentium Militum & Baronum ſuorum, Domini* Iacobi *de* Flori, *Comitis Ioppenſis, & Domini* Ianisi *de* Monteolif, *Regni Cypri Auditoribus, & Domini* Odethi Busath, *Vicecomitis Nicoſienſis, ſuam altam & regalem curiam more regni Cypri repreſentancium, narrauiſſet & expoſuiſſet, ſibi a Sanctiſſimo — & vero Petri ſucceſſore, Domino noſtro, Domino* Nicolao — *quasdam gratioſas litteras fore traditas, nonnullas gracias, conceſſiones, & indulta in ſe continentes — per quas quidem litteras Apoſtolicas dixit & aſſeruit, ſibi, dependentibusque ab eo nunciis & procuratoribus — auctoritate Apoſtolica fore traditum, indultum ſpecialiter, & conceſſum* &c. Clausula hæc est: *Datum & actum in Nicoſia regni Cypri, in regali palatio, in capella regali, anno a natiuitate Chriſti MCCCCLII, indictione quinta decima, die vero Mercurii, VI menſis Ianuarii, preſentibus Spect. & Generoſo Milite, Dn.* Thoma, *regni predicti Mariſchalco, & Eximio Artium & Medicinæ Doctore Dn.* Iacobo Sagratico, *& Medico ipſius Sereniſſimi Dn. Regis, & me Notario publico* (Benedictus is fuit de Onetariis) *& aliis quam pluribus teſtibus ad hoc vocatis & rogatis.*

Senatum Eltvillensē cum ciuibus componit.

14) Sub initium anni MCCCCLVI dissidebat Eltvillæ cum Consulibus & Senatu oppidi populus, grauari se, rebusque haud paucis premi questus. Ne res in turbas excederet, ciuitatique afferret damnum, Theodericus partes Hôchstam vocauit, inspectisque querelis coortum dissidium ad pacem conuertit, caussis, quæ concordiam sciderant, dissiparantque, prouide sublatis. Factum id sabbato post trium Regum, in consessu illustri maxime splendidissimoque. Aderant enim *Ioannes Nix* de *Hoheneck*, dictus *Enzberg*, tum temporis Moguntiæ Collegii maioris Decanus, post Præsul Spirensis factus, *Ludouicus* Comes Wertheimensis, Canonicus Moguntinus, & e Consiliariis *Iodocus* de *Venningen*, Ordinis Teutonici Magister, *VVilhelmus* Comes Wertheimensis, *VValtherus* de *Eppenstein*, Dominus Brubergæ, *Ioannes* Comes Wertheimensis, *Conradus* Dominus Bickenbaci, *Franco* de *Cronenberg*, senior, *Eber-*

Edit. I p. 875

Eberhardus de *Riedern*, *Conradus* de *Franckenberg*, equestri stirpe Milites, *Ioannes* de *Erlenbach*, aulæ Magister, *Hermannus Rosenberg*, Vicarius in spiritualibus generalis, *Ioannes* de *Lorch*, D. curiæ ecclesiasticæ Iudex, *Ioannes* de *Beldersheim*, D. *Eberhardus* de *Drahe*, *Dietericus Specht* de *Bubenheim*, *Rudigerus* de *Mergentheim*, dictus *Sützel*, *VValtherus* de *Riffenberg*, *Ioannes* de *Hulshoven*, *Bernhardus* de *Svvalbach*, *Gerhardus* de *Merlavve*, *Ioannes* de *Hengsperg*, Scriba prouincialis.

cum Norimbergensib. Windshemēsib. & Weissenburgensibus fœdus facit.

15) His peractis cum ciuitatibus Imperii liberis, *Norimbergensi*, *VVindsheimensi*, & *VVeissenburgensi* Aschaffenburgi ipsa D. Pauli ad Christum conuersi memoria contraxit societatem. Finis erat, vt consilia referrent ad securitatem publicam tuendam; dein, vt mutuum sibi inuicem aduersus prædones, qui tum passim vias insidebant, præstarent auxilium. Quo minus autem ab amicitia distraherentur, simul statutum fuit, si quid forte ipsos inter oriretur dissidii, id amica statim componendum via.

cum Palatino ad tempus in concordiam reducitur.

16) Postea actum de concordia ipsum inter & *Fridericum* Palatinum concilianda. Post multas deliberationes res circa dominicam, quæ a sacratissima Triade nomen habet, ad pactionem deuenit. Ea fidem dedere, neutrum alterius hostes suis in terris recepturum vel toleraturum: vtrumque vero in tranquillitate publica tuenda curas defixurum suas: res item suorum a prædonibus auersas omni vindicaturum studio; dissidiis denique finem impositurum. Simul vero ad octo annos contraxere fœdus. Ita perscriptum tabulis, quas *Fridericus* feria post dictam dominicam secunda Omstadii edidit. In aliis, quas ibidem postridie confecit, habetur, de his hac inter se conuenisse conditione, vt a die isto vsque ad B. V. adsumtæ sollemnitatem Theodericus secum deliberet, an Fridericum pro Archidapifero & Principe Electore habere velit, nec ne. Si in animo id habeat, ac intra tempus istud scripto profiteatur, tum fore, vt fœdus initum octo annos duret: sin minus, vt post quintum & decimum Augusti diem irritum sit atque infectum; veluti in codice Diplomatico videre est.

prædones persequendos constituit.

17) Erat autem, vti dictum, inter conuentorum capita, vt prædonum vterque persequeretur iniurias, maleficiaque. Id quum primo quoque tempore Theodericus facere constituisset, Heidelbergæ cum Friderico sua, de oppugnandis ac exscindendis illorum latebris ac receptaculis, consilia tempestiue contulit. Diuo Bonifacio martyri sacra fuit dies, qua probe iunctis sententiis rei modus compositus.

suos ad iudicia externa haud vnle euocari.

18) De cetero, cum ipse non minus, quam Fridericus nollet, suos ad externa tribunalia euocari, ambo die Kiliani martyris honori festa peculiari conuentione statuere, neutiquam se permissuros, vt quisquam suorum ad id genus iudicia prouincialia, aulica, aliaque, Westphalicorum nomine vulgo nota, in ius rapiatur.

regatur, vt Ruperto Palatino Archiepiscopatum Treuirens. procuret. V. *cod. Dipl.*

19) Vix hæc decreta, cum Fridericus rogaret, vt fratri Ruperto in adipiscendo Pontificatu Treuirensi, qui morte *Iacobi* tum vacabat, sua adesset opera. Theodericus vt ostenderet, desideranti se velle, facilis ad hoc fuit, ac statim pollicitus est, se caussam hanc tum Papæ, tum Philippo Burgundiæ Duci, tum aliis, quorum vsus videretur necessarius, omni commendatarium studio, ac quantum posset operam daturum, vt optatis honoribus Rupertus potiatur. Quam præstantem in se beneuolentiam Fridericus grato agnoscens animo, eodem die (fuerat is tertius & decimus Iulii, D. Margaretæ insignis memoria) respondit, viciissim se Theoderico, si forte contigerit, vt hac de caussa molestiæ quid traheret ac negotii, omni semper præsto futurum consilio, auxilio, atque ope.

Fridericum Palatinum pro Electore habet. V. *cod. Dipl.*

20) Inter hæc appropinquarat tempus, quo tandem, quid de Friderici ipse sentiret caussa, expromendum erat. Viderat autem, quoties rem hanc secum voluebat, dubiis istis ac formidolosis temporibus in locum difficilem plane, scopulosumque se deuenturum, ni Fridericum & ipse salutaret Electorem, & in Collegium Septemuirale reciperet. Litteris igitur Lunæ post diem gloriosæ Virgini adsumtæ dicatum Aschaffenburgi datis ostendit, se non solum ire in arrogationem Philippi pueri, verum etiam in Friderici titulos ac honores; addito promisso, in posterum ad Comitia Septemuiralia, aliaque negotia se eum, vt S. R. I. Archidapiferum & Principem Electorem, semper tam vocaturum, quam admissurum; & si contingat, vt Cæsar eadem sit mente, Fridericumque probet, tum se tabulis illius sigillum suum prompte libenterque appensurum.

castro Monfortio obsidione infert.

21) Inde arma in prædones expedita. Quorum cum magna colluuies in castrum *Montfortium*, Comitatui Sponheimensi contiguum, confluxisset, & vicinum agrum, Moguntinensem maxime, rapinis ac maleficiis improbissima ratione vexaret, Theodericus prouinciam ista liberaturus molestia, id inuadendum censuit, exscindendumque. Cuius sententiæ cum etiam Fridericus esset, copiæ vtrinque contractæ, castroque vis admota. Quinque diebus fortiter oppugnatum cum Fridericus cepisset, igne destructum fuit, adiecta execratione, ne quis sceleratam & impiam domum reædificaret. Factum id mense Octobri. *Trithemius* chron. Hirsaug. ad h. a. p. 432, *Hachenbergius* l. d.

quod expugnatur.

Fridbergam pro parte, qua Moguntinensi Sedi oppignerata erat, vendit

22) Id temporis ciuitas *Fridbergensis* pignoris nexu deuincta erat cum maxime Archiepiscopo & ecclesiæ Moguntinensi, tum *Diethero* de *Isenburg*, Domino *in* Büdingen, *Godefrido* de *Eppenstein*, *Eberhardo* de *Eppenstein*, Domino *in* Kônigstein, nec non ciuitati *Francofurtensi* ad Mœnum, eisdemque certa præstabat emolumenta. Hæc pro parte sua, vna cum iure, quod Sedi Moguntinæ in eandem erat, Theodericus per hosce dies in castri Imperialis, quod vrbi adiacet, socios transtulit, litterisque Aschaffenburgi Lunæ ante Martinalia datis, Consulibus & Senatui ciui-

ciuitatis mandauit, vt quo hactenus modo sibi præsto fuissent, eodem in posterum Burgensium ad nutum sese paratos exhibeant.

Norimberga interest comitiis.

23) Misera ceteroquin Imperii facies, quæ vnicuique ob oculos versabatur, Septemuiros iuxta Procerumque complures adduxerat, vt sua interesse putarent, quamprimum de salute publica deliberare. Cui etiam rei dies dictus, quo Norimbergæ coirent. Fuit is, qui D. Andreæ nomen in fastis gerit. Theodericus pro eo, quo erga rem communem erat, studio sine cunctatione illum obiit, ac quid in tanta Cæsaris lentitudine Imperio expediret, ac facto opus esset, confidenter ediisseruit, libereque. *Müllerus* l. d. cap. II § I & seq. p. 555 & seq.

cum Herbipolensi de oppido Ochsenfurt disceptat.

24) Anni, quem redux auspicatus est, MCCCCLVII exordio discordia adhuc implicitus erat cum *Ioanne* Episcopo Herbipolensi. Caussam præbuit oppidum *Ochsenfurtum*, quod Theodericus pignori habebat, & cum ad id numerata pecunia reluendum sese paratos denuntiassent ædis summæ, quæ Wirzburgi est, Canonici, e manibus dimittere tergiuersabatur. Scriptis tamen solum, quod sciam, certatum fuit, non item armis. Vid. *Friseus* l. d. in *Ioanne III* cap. IV & V p. 815 & seq.

recens electum Abbatem cœnobii Klingenmünster confirmat.

25) Dein recens electum cœnobii supra iam dicti, *Klingenmünster*, Abbatem solitis cæremoniis Aschaffenburgi die IV Martii probauit. Regum enim ac Imperatorum instituto a primis istius incunabulis ita comparatum erat, vt Archiepiscopus Moguntinensis claustri haberet rationem, quamuis in Spirensi id situm sit diœcesi, & vno quoque tempore Abbati electo constabiliret dignitatem. Erat autem, quem tum confirmauit, *Erpfo Brack* de *Clingen*, cœnobii, vt vocant, Professus, surrogatus in locum *Bernhardi* dicti *Schilling* de *Surburg*, qui paullo ante magistratu se abdicarat. Vt autem monasterii res in posterum hoc studiosius administrarentur, & ab omni incommodo sartæ seruarentur tectæque, Theodericus altero post die Erpfoni *Bernhardum* decessorem, spectatæ virtutis & industriæ virum, ad partem curarum sustinendam Coadiutoris adiunxit titulo, certis, vnde is viueret, suamque dignitatem tueretur, reditibus de cœnobii bonis ac possessionibus, Erpfonis consensu, constitutis. Quamdiu *Bernhardus* superuixerit, haud liquet. *Erpfo* vero anno demum MCCCCLXXXIII vita excessit, successorem nactus *Eucharium* de *VVeingarten*; quod ὀδὲ πάρεργον notare visum.

aduersus Iudæos constitutionē edit

26) Post paullo iustas in Iudæos, genus hominum insolens, proteruum, ac ad fœnus & pudendas vsuras peruicacissimum, iras distrinxit. Quippe sanguinolentis centesimis, immo semunciariis Christianorum exhauriebant facultates, ac vsuras in sortem redigebant, quod legibus grauiter prohibitum; tum vero eodem cum Christianis habitu in publico comparebant, nec, quod sacris Patrum sanctionibus statutum erat, circulos in palliis aut vestibus viri, striffas siue strias in peplis ferebant mulieres. His ille, aliisque haud mediocriter incensus, omni diœcesis suæ clero, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Curionibus, Diaconis, Tabellionibus item siue Notariis publicis, litteris Aschaffenburgi die XVI Martii datis, sub excommunicationis, vt vocant, pœna mandauit, vt visis illis mox cuiuslibet loci Magistratus, Consules, Proconsules, Scultetos, Scabinos monerent atque exhortarentur, id amplius ne ferrent, sed intra quindecim dierum spatium Iudæos quisque suos adigerent, vt id genus signa in publico gestent, ac vsuras in sortem quomodolibet redactas singulis ac omnibus, quibus restituendæ sint, restituant; tum vero, hæc se feciisse, certis intra tempus istud præfinitum testimoniis probatum dent. Litteris ipsis, quas in codice Diplomatico dedi, res fiet clarior. Edit. I p. 875

cum Friderico Palatino de certis quibusdam capitibus pactionem facit.

27) Sub hæc appropinquabat tempus, quo Francofurti Conuentus agendus erat, superiori anno Norimbergæ decretus. Quare tum ipsi tum Palatino placuit, de certis quibusdam capitibus inter se pactionem facere. Potiora erant, enitendum, ne Cæsar Ducatum Mediolanensem Francisco Sfortiæ nexu fiduciario conferat, vel de conferendo eocum agat, nisi ipsorum præscitu atque consensu. Tum, vt nouum ille Francofurti instituat vectigal, in nundinis vernalibus & auctumnalibus quotannis pendendum. Institutum vterque omni curet & adserat studio. Quod prouenerit in partes tres æquales diuidendum; quarum vnam Cæsar capiat ac Imperium, reliquas duas vero ipsi lance pari. Dein, vt Cæsar de feriunda per Imperium moneta aurea atque argentea mandatum edat, ac vtrique negotium det, quæ eo pertinent constituendi. Post, vtrique curæ sit, alterius commodis vt velificetur; Friderico quidem, vt Cæsar Moguntino ea permittat priuilegia, quæ Sedes sibi pepererit; sigillatim ius curiam Imperii moderandi, ac decimam partem census, qui a Iudæis pendatur, percipiendi; Theoderico, vt Cæsar Fridericum pro Principe Electore habeat, & honores Septemuirales ei confirmet; declarationem insuper edat de iure iurando, quod Fridericum oppidis Offenburg, Gengenbach, & Zell, locis item præfecturæ Alsaticæ, cum eorum caperet possessionem, præstare oportuerit. Tum præterea, ne Cæsar Administratorem Imperii, vel Locumtenentem, vel Regem Romanum instituat, sine vtriusque præscitu & voluntate. Ad extremum, si Rex Romanorum eligendus sit, vt consilia prius inter se conferant, quam negotio manus admoueatur, ac studium omne eo conuertant, vt suffragiis suis in vnum eundemque eant. Quod si quis designetur, quem ipsi haud legerint, vel alteruter modo, tum electo iustos obsequii titulos haud ante deferant, quam scripto declarauerit, se neutri propterea indignaturum. In litteras hæc missa sabbato post festiuitatem annuntiatæ salutis.

Ioanni Treuirensem in Vnionem Electoralem recipi curat.

28) Is cum dein ageretur, *Ioannes* Marchio Badensis, qui *Iacobo* in pontificatu Treuirensi surrogatus erat, in *Vnionem* siue fœdus, quod anno MCCCCXLVI Septemuiri inierant, Veneris post diem Christo de inferis

Edit. I p. 875

ris triumphanti ſacrum receptus eſt, poſtquam id omni ſe fide ſeruaturum iure iurando ſollemniter interpoſito ſpopondit. Præſens autem, cum hæc agerentur, fuit Theodericus. Vid. *Müllerus* l. d. ſect. III cap. VII § II p. 593.

Treuiris optimatum fœderatorum vnionem diſſicit.

29) Tum vero Treuiris, Pontificis iuſſu, in pactionem male nexi, colligatique fœderis, quam Optimatum nonnulli, oppidaque firmiora aduerſus Archiepiſcopum inter ſe pepigerant, inquiſiuit, & quum, re probe diſcuſſa, ex æquo bonoque ſecundum Ioannem iudicaſſet, ſtabili viam muniuit concordiæ. Vid. *Brouverus* l. d. lib. XIX § CIII p. 291.

raptores per ſequitur.

30) Interea loci *Cuno*, Dynaſta Weſterburgius, *Iacobus* de *Cronenberg*, *Meſridus* de *Brambach*, *Haman VValtmann*, *Ioannes Moſpach*, & *Philippus Rode*, vna cum ſociis, communem turbarant tranquillitatem. Quippe negotiatorum Colonienſium nonnullos in Mœno, Francofurtum inter ac Moguntiam, ſine vlla hoſtilium denuntiatione prius facta (*alles ohne fehde, vnvervvart ir eren*) inuaſerant, ac Weſterburgum abduxerant captiuos. Hanc rem, cum de ſecuritate publica non plane nil detraheret, commerciis vero libere exercendis officeret quam maxime, ægre prorſus ferebat *Theodericus*; nec æquius finitimi alii, *Agrippinenſis*, *Treuirenſis*, *Franco Cronenbergius*, ſenior, ac *Colonia* & *Francofurtum* Ciuitates: quin armis vindicandam ſtatuebant, vt otii communis maior in poſterum haberetur ratio. Lohnſteiniii igitur Lunæ poſt Catharinæ Virginis memoriam, ſocietate inter ſe conſtituta, bellum aduerſus raptores iſtos decreuere. Modus gerendi compoſitus hic erat: vt ſcilicet quisque fœderatorum litteris diffidatitiis Weſterburgum dominica inſtantes D. Thomæ ferias præcedanea miſſis inimicitias eisdem indicat; dein vero copias contrahat, & ipſo D. Thomæ die ad locum mittat deſtinatum; *Molſpergam* Moguntinus, Cronenbergius, & ciuitas Francofurtum; *Hartenfelſam* Agrippinenſis, Treuirenſis, & ciuitas Vbiorum Colonia. Moguntinenſis equites mittat XXV, pedites XI; Cronenbergius equites XV, pedites X; Ciuitas Francofurtenſis equites XX, pedites VIII: Agrippinenſis itidem XXV mittat equites, & pedites XI, totidem Treuirenſis, Ciuitas vero Colonia, haud ſecus ac Francofurtenſis, equites armis inſtructos XX, & pedites VIII. Et illa & iſta pars ſuis, quos mittat, præficiat Centurionem; quibus duobus Moguntinenſis præfectum imponat ſupremum; illis in conſilium adhibitis, excurſionibus quotidianis Weſterburgium & facinoris ſocios vexandos (*den teglichen krieg gen die VVeſterburgiſche zu driben.*) Quod ſi inter diem iſtum ac Virginis purificatæ ſollemne rem ex ſententia conficere haud liceat, tum ad diem Apolloniæ legatos Boppardiam mittendos, qui de iuſta aduerſus hoſtes expeditione conſultent. Si Weſterburgum, vel aliorum caſtrorum vnum alterumve expugnetur, Nobilium itidem aut ignobilium quidam capiantur, caſtra non minus quam captiuos æqualiter Principes inter ſe diuidant; captiuos vero prius haud dimittant, quam cautione illi iurata ſe obſtrinxerint, de non vindicando in Franconem & Ciuitates.

in quos datur iudicia.

31) Horum armorum ſibi incumbentium vi animo perculſi pacis iſti turbatores, tempeſtiue veniam poſcebant, pacemque. Vt conſequerentur, *Caroli* Marchionis Badenſis effectum opera. Res autem ſub initium anni ſubſequentis MCCCCLVIII acta Confluentibus, quo loci ab vtraque parte affuere legationes. Sententia Iouis poſt diem, quo Pauli conuerſi memoria recolitur, lata. Redibat autem huc, vt ne Cuno proximis ſex annis aduerſus Moguntinum, Agrippinenſem, & Treuirenſem vllo ſtet modo, vel aduerſus eos tendat; dein, vt bona mercatoribus per vim ablata, ereptaque bona reſtituat fide, adnumeretque; captiuos vero dimittat liberos. Conf. *Brouverus* l. d. § CIV p. 291.

Conuentui Principum nonnullorū Spiræ intereſt.

32) Dominica, quæ *Lætare* dicitur, Spiræ habitus fuit conuentus. Aderant *Albertus* Auſtriæ Dux, *Stephanus*, *Otho*, *Ludouicus*, Comites Palatini ad Rhenum, hic & ille Bipontinæ, iſte Mosbacenſis familiæ; *Albertus* Marchio Brandenburgicus, *Carolus* Badenſis, *Vlricus* Comes Wirtembergenſis, &, qui primo loco nobis nominandus erat, noſter *Theodericus*; omnes magna Comitum, Equitum, Nobilium turba ſtipati. Vt coirent, faciebat Fridericus Rheni Palatinus, Septemvir; ab eo enim ſe multis modis in iure ſuo interpellari, vno omnes querebantur ore. Sed re infecta diſceſſum, vt notat *Lehmannus* chron. Spirenſ. l. d. cap. CII p. m. 850.

de quib⁹ capitibus cum Friderico C. Palatino contenderit,

33) Quid vnicuique illorum cum eo fuerit controuerſiæ, huc non pertinet. Theoderico erat de paſcuis quibusdam, ratibus itidem ſiue lignis, quæ per aquas aguntur (*von des floshols vvegen*) aliisque; quarum iſtam Decano Wormatienſi, illam Magiſtro Ordinis Teutonicorum per Germaniam Magiſtro pridem commiſerat diſceptandam. Cum neuter interea pronuntiaſſet ſententiam, *Sifridus*, Spirenſis Epiſcopus, rem eo deduxit, vt vtramque partes, vna cum ceteris, ad arbitrium, iudiciumque *Heſſonis*, Landgrauii Leiningenſis referrent, præſtituto ſimul, intra quod pacis leges diceret, ſex menſium ſpatio. Actum Vormatiæ Veneris poſt diem D. Bonifacii martyrio inclitum. Eodem ipſe alias ad pacem conuertit, ac Friderico auctor fuit, vt ſententiæ de tractu Cubam inter & vicum Lorch a *Iodoco* de *Venningen* latæ renuntiaret, quod & ille pro ſe & Philippo, fratris Ludouici filio & futuro ſucceſſore, fecit, Collegio metropolitano ſpondente, agri illius ergo ſe ei nouem florenorum millia intra annum Oppenhemii vel Wormatiæ exſoluturum. Dein, ne tractus iſtius cauſſa in poſterum nouæ orirentur lites, de terminis eiusdem egit Sifridus, qui etiam ſingulari cura conſtituti. Ceterum vero decreuit, vt Lorchenſes incolis caſtri Reinbergenſis ius paſcendi & lignandi vſque ad duos ſub arce riuos & foſſam, vulgo der *Blidengraben* dictam, concedant; Fridericus vero ciuium Moguntinorum cauſſam nec in ſe ſuſcipiat, nec aduerſus Theodericum & Sedem

& compoſitus ſit.

Moguntinam tueatur. Additum tamen, posse eiscum agere, ne sibi aduersentur, vel hostibus Palatinatus in vrbe receptum dent. Tandem, quos ex ciuibus Bingensibus vno vel altero modo sibi obstrinxerit, omni exsoluat vinculo, nisi forsan in illorum numero inueniantur, qui Palatinatui seruitutis nexu sint deuincti; hos enim illum sibi vindicare posse.

ciuitati Erfurtensicensium Iudaeorum annuum remittit.

34) Erfurti Iudæos per tumultum plebis consumptos, & census ab iis Electorali fisco pendi solitos ciuitatem se soluturam constituisse, alibi dictum. Hæc a Theoderico, vellet vrbem suam hoc onere subleuare, supplex petiit. Remisit Elector centum marcas argenti annuas, quæ loco Iudæorum vectigalis soluebantur; canonem tamen, quem de ædibus Iudæi pependerant, etiam posthac sibi a Senatu præstari voluit. Accessere in supplementum quatuor millia florenorum & trecenti, quæ ciuitatem sibi numerasse Theodericus tabulis peculiaribus recognouit. Conf. *Gudenus* historiæ Erfurtensis lib. II § XXV p. 138 & seq. Datæ sunt Aschaffenburgi Martis post dominicam *Misericordias Domini*; vt adeo pateat, hæc inter istas cum Palatino controuersias contigisse.

cum Bipontino, Brandenburgensi & Wirtembergensi societatem contrahit.

35) Vt interim ad omnem casum fortiter sustinendum tempestiue se compararet, subsequentibus diebus cum *Ludouico* Duce Bipontino, cui *Nigri* cognomen vulgo erat, *Alberto*, Marchione Brandenburgico, & *Vlrico*, Comite Wirtembergensi, de fœdere ineundo actum; quo etiam Martis post D. Viti memoriam Mergenthemii ad decem annos se illis iunxit. Quo minus autem id labefactaretur, aut dissueretur, mutuo statutum consensu, si forte quid vnum inter alterumue exoriretur offensæ, id, quoad fieri posset, priuata compositione placide atque amanter, vel si id statim non posset, per sequestres vtrinque lectos componeretur. Consiliariorum vero, e quibus arbitrarii huiusce iudicii tum præses siue director, tum assessores (*Obmann vnd Gemeyner*) deligendi, quisque designauit quatuor; *Theodericus* Præfectum prætorio siue aulæ suæ Mareschallum, Vicedominum Rhingauiæ, Vicedominum Aschaffenburgensem, & Burggrauium Starckenburgensem: *Bipontinus* aulæ Magistrum, & Mareschallum, tum vero Præfectos Nouicastellanum, & Meisenheimensem; *Albertus* aulæ similiter suæ Magistrum, & Mareschallum, tum Capitaneum, quem vocant, Burggrauiatus superioris, & Præfectum Cadoltzburgensem; *Vlricus*, aulæ Magistrum, Præfectum domus ac rei œconomicæ (*Hus-Hofmeister*) & e Satrapis Ballingensem, & Sturgardiensem. Edit. I p. 875

cum Hasso pacificatur.

36) Sub anni, quem in vita vltimum habuit, MCCCCLIX incunabula cum *Ludouico*, Hassiæ Landgrauio, in gratiam rediit. Caussa, quæ eos in discordiam egerat, hæc fuit. Theodericus infestis istis temporibus loca iuris Moguntini, in Hassiæ sita finibus, Ludouici commendarat patrocinio: commissa Ludouicus defenderat, suoque præsidio præstiterat tuta. Sed non sine impendio. Id cum sibi post reddi postularet, Theodericus non plane nil moræ interponebat ac tergiuersationis. Reconciliationis auctores fuere *VVilhelmus*, Dux Saxoniæ, & *Albertus*, Marchio Brandenburgensis. Res vero acta Bambergæ, Lunæ ante diem D. Antonii nomine insignem.

auxiliarios sibi compatat.

37) Cum autem tum temporis *Fridericum* Palatinum Rheni, quocum nondum compositus erat, suspectaret, & contentionem, quam cum eo habebat, in bellum metueret excessiram, ne imparatus in paratum incideret, quamplurium e nobilitate sibi conduxit operam; nominatim *Ioannis* de *Eichelzheim*, *Erasmi* de *Rosenberg*, *Friderici Rüd* de *Bödigkeym*, *Simonis* de *Adolsheim*, *Ioannis* de *Dürn*, *Ioannis* de *Stetten*, *Conradi* de *Berlichingen* &c. ab vnoquoque illorum certum equitum probe expeditorum numerum sibi litteris D. Wernheri die Aschaffenburgi datis pactus. Sed enim vero hos intra apparatus morte mox his curis leuatus, ac ad quietiorem traductus vitam est.

VII Fuit huius Theoderici ea, Dei beneficio, felicitas, *vt eius aula quidam veluti paradisus videretur*, vt habet MS. Ea interim frugi patrisfamilias industria, vt e cereis, quorum in aulico ministerio vsus erat, distillantem ceram, diligenter iterum colligi, ac in globulos redigi curaret, ita vt ex iis nouos, quibus ipsemet vti posset, cereos conflaret.

publicam magnificentiã dilexit.

1) Dubites, vtrum tam parca frugalitate fuerit Theodericus, ac quidem auctor hic tradit. *Bruschius* enim, *Latomus*, aliique ita nobis eum describunt, vt luxus magis quam parsimoniæ domesticæ studiosus fuisse videri possit. Ille quidem in catalogo *Princeps*, ait, *clementia, pacis studio, & multis aliis præclaris virtutibus ornatus, venationum tamen, quam ecclesiasticarum cæremoniarum studiosior: alioqui mire pomposus & splendidus, & qui semper in curia sua archiepiscopali trecentos aut quadringentos equos alebat.* Iste, in catalogo manuscr. *Princeps ad luxum & pompam vsque splendidus, & secularibus potissimum rebus deditus.* Nec abit manuscr. Germanicus; *Dann er gemeiniglich 300 oder 400 pferde an seinem hof hielt, denen er futter vnd mahl mildiglich vnd auch reichlich mittheilet. Zu dem vvas täglich ein merckliches grosses ab- vnd zureiten von andern Fürsten, Graven, Herren, vnd der Ritterschaft, dieweil man gemeiniglich an seinem hof, vvie bey einem vveltlichen Fürsten, pfleget vnd gevvohnt vvas zu rennen vnd zu stechen: also, dass mans einen königlichen pracht vvol mögt verglichen haben. Ab dem sich doch das Erzstift gar nicht besserт oder zunahm.*

Obit & humatur.

VIII Anno MCCCCLIX Aschaffenburgi, quod ædificiis pluribus egregie ornarat,

ad pag. 771

a) Henricus,
Dominus in *Isenburg*,
occur. an. 1265.

a) LVDOVICVS,
Dominus in *Isenburg*,
vixit adhuc an. 1302.
vx. *Hedvvigis*,
terrarum *Budingensium* ex parte heres.

b) Margareta,
vx. *VVilhelmi*, Comitis *de* Cazenelenbogen.
occur. an. 1296.

Hermannus,
vx. *Lisa* de *Hohenfels*.

Ludouicus,
Præpositus VVetzlariensis.

Wilhelmus,
patris successor. † *sine liberis*.

Fridericus.

c) LOTHARIVS,
vx. *Isengardis*, Falckensteinio-Münzenbergica.

d) HENRICVS.
vixit adhuc 1370.
vx. *Adelheidis* Hanoica.

Philippus.
a quo linea *Grensaviensis*.

d) IOANNES,
c) *Præpositus Abbatiæ Fuldensis*,
f) † 1395 apud Confluentes ipso *Cinerum* die.
*d) vx. *Sophia*, Comes Wertheimensis.

g) Agnes,
vx. *Dieterici* Domini *de* Buckenbach.
occur. an. 1384.

Henricus.

Wilhelmus,
Præpositus Limpurgensis.

b) IOANNES
† 1408.
h) vx. *Margareta*, Comes Catimelibocensis.

i) DIETHERVS,
a Friderico III Comitis Budingensis titulum an. 1442 *cohonestatus*.
* † circa an. 1461 vel 1462.
i) vx. *Elisabetha*, Comes Solmensis.

k) Ioannes,
fallus Carthusianus, & an. 1439 *Prior nouæ Cellæ in* Grünaw.
† 1463.

DIETHERVS,
Archiepisc. Moguntin.

Bernhardus,
Eques Ordin. Teutonici.

Otho,
Eques Ordin. Ioannitici.

LVDOVICVS,
stirpis propagator.
l) constitutus an. 1460 Præfectus Steinheimensis.
*l) an. 1480 Satrapa urbis Moguntinæ.
** vx. *Maria*, Comes Nassoniæ.

Philippus,
m) *Canonicus Moguntinus*.

Ioannes,
Satrapa Bischofsheimensis.
n) *missus an.* 1479 *a fratre ad recipiendum a ciuibus locorum Fuldensium Sedi oppigneratorum homagium*.

a) *Ludouicus* hic de *Isenburg* anno 1265, consensu patris sui, Canonicis Moguntinis pro 120 marcis quartam partem decimæ vini in tractu Bingensi vendidit.

b) *Nos* Wilhelmus, *Comes iunior* de *Cazenelnbogen* — *quod nos consulente Socero nostro Domino* Ludouico *Domino* de *Isenburg* &c. an. 1296.

c) *VVir* Luther, *Herr* zu *Isenburg*, Hentich *vnser* Son — *bekennen, daß vvir den Edeln* Philips *vnd* Cunen, *gebrudern, Sohnen Herrn* Cunen *sel. vnsers Svvagers von Falckenstein* &c. an. 1334.

d) *Nos* Conradus, *Præpositus, totusque Conuentus monasterii in* Elwinstadt, *Ord. Premonstratens. Magunt. dioces. recognoscimus tenore præsentium, publice profitendo, quod de ecclesia parochiali in* Rendele, *quæ per Nobilem Virum, Dominum* Henricum *de* Isenburg, *Dominum in Budingen, cum iure patronatus, quod ad ipsum spectabat, de consensu Domine* Adelheidis, *suæ legitime vxoris, Domicelli* Iohannis, *eorum filii senioris, & Domine* Phie, *eiusdem legitime contoralis, pro ipsis & heredibus suis, ob salutem animarum suarum nobis propter Deum est donata* &c. *Actum V Idus Decembris anno Domini MCCCLVIII.*

e) *VVir* Adolf *E. z. M.* — *vvan vns die Erbern* — Mertin *Dechant, vnd der* Convent — *des Stifts zu* Fulde, *mit den* Phlegern, *die der Ervv.* Conrad *Apte des vorgen. Stifts* — *vber den Stift zu* Fulde, *mit namen Her* Iohan *Here* zu *Isenburg vnd* zu *Büdingen*, Friderich, *Her zu Liesperg* &c. *gekorn vnd genommen han* — 1382 *des nechsten Donrestags vor S. Thomas tag des H. Apost.*

f) *Gensheim* tastor. Limpurg. § 212 p. 115.

g) *Ich* Diederich *Herr* zu *Bickenbach bekenne, daß ich mit verbengnisi* Conrad *des iungen, Hern* zu *Bickenbach, mines lieben Bruders, vnd* Conrad *des eltern, Hern* zu *Bickenbach, mins lieben Vetern, vvidersse vnd bevvise in diesem brief* Agnelen, *myn elichen Hussravv, die da Dochter vvas des Edlen Herrn* Henrichs von Isenburg &c. *Dat. an S. Katharinen abent* 1384.

h) *VVir* Adolf *E. z. M.* — *bekennen, daß vvir eine frunschaft gered vnd geredinget han zvvischen dem Edeln, vnserm lieben Svvager* Dyther *Grafen* zu *Cazenelnbogen* — *vnd dem Edeln* Iohann, *Herrn* zu *Isenburg vnd* zu *Büdingen* — *also daß der vorgenant vnser Svvager Graf* Dyther, Margarethen *sine Dochter, vnser Nifteln, vnd der vorgenant* Iohann *Herr* zu *Isenburg*, Iohann *sinen Son* — *zu der ee geben vnd gisbet habe, also daß der obgen.* Iohann von Isenburg *der iunge vnd* Margarethe von Cazenelnbogen *sich zu der ee nemen vnd byslaffen sollen hie zvvischen vnd S. Johans tag Bapt. erst komet, an geverde.* — *Dat. Aschaffenburg in die S. Stephani protomartyris* 1384.

i) Cum *Helvvichius* lib. *de dissidio Moguntino* sect. 1 § 2 & sectione 3 § 13 *Diethori* Archiepiscopi patrem vocet *Franciscum*, matrem vero *Margaretam*, eandemque *Comitem* dicat *Nassoiæ*, operæ pretium erit ostendere, eum errare.

Quod igitur ad *patrem*, testimonio nobis venit *Diethernus* ipse, quippe qui in literis an. 1459 Martis post Ioannis Baptistæ natalem datis; *VVir* Diether *von Gots gnaden Ervvelter des Stifts zu Mentze bekennen, daß vvir dem Edeln* Diethern *von* Isenburg, *Grave zu Budingen, vnserm lieben Vater* — *schuldig sin* &c. & in aliis an. sequenti 1460 die S. Ioannis Baptistæ datis; *VVir* Diether — *bekennen in diesem briefe, solicher vnvville, zvvytracht vnd irrunge vnd myschell, die sich bisher vff diesen tag zvvischen den VVolgebornen* Diether von Isenburg, *Graven zu Budingen, vnserm lieben Vater, auch* Ludewigen von Isenburg, *Graven daselbs, vnserm lieben Bruder, an eynem, vnd* Philips *Graven zu Hanaue* &c.

Quod ad *matrem*, certos nos reddit initiata tabularum, quas illa & maritus an. 1435, die Michaeli Archangelo sacra, super venditione census cuiusdam *D. Victoris* dederunt Collegio; *VVir* Diether von Isenburg, *Herr zu Budingen*, Elisabeth, *sin elich Hussravv*, Iohann *ihre elter Sohne* &c. Conf. *Zeibichius* geneal. Solmens. tab. 2 n. 28, qui ex his lucem accipiet.

* Quo anno diem ille obierit supremum, distincte mihi nondum occurrit. Id tamen ex literis *Diethori* Archiepiscopi patet, eum an. 1460 & 1461 adhuc vixisse; ex aliis vero an. 1462, dominica *Quasimodogeniti* fato suo iam fuisse functum. In his enim dicitur *Diethernus*; *Als der Edel* Diether von Isenburg, *Grav zu Budingen, vnser lieber Vater selig* &c.

k) Vid. lit. i) Ceterum conf. *Schedisma* de *claustro Carthusianorum* Moguntinensi § 12.

l) *VVir* Diether *E. z. M.* — *bekennen, daß vvir den Edlen* Ludvvig *von* Isenburg, *Grafen zu Budingen, vnsern lieben Bruder vnd getruvven, zu vnserm Amptman zu Steinheim gesetzt vnd gemacht han* &c. Moguntiæ 18 Ian. 1460.

*l) Lunæ post dominicam *Quasimodogenit.* Vid. Catalog. *Vicedominorum Moguntinensium.*

** *VVir* Adolf — *Ervvelter vnd Bestetigter zu Mentz* — *lassen vch Manne, Burgmanne, Amptlude* — *vnd die Lantschafft gemeynlich* — *gein Steinheim gehorig vvissen, daß vvir den Edlen* Ludevvig von Isenburg, *Graven zu Budingen*, Meigen von Nassaw, *siner elichen Hussravven* &c. *am Sontag nach Sanctus & Inda* 1463.

m) *Ich* Iohann *von* Allenblumen — *mins gnedigen Herrn von Mentz Provisor zu Erffurt* — *bekenne, daß mir die Edlen* — Philips von Isenburg, *Graf zu Büdingen, Dhum Herre, Graf* Sigmund *von Glichen — des obgen. Herrn* Diethers *Bischoflichen Hoff vnd Vrvverck zu Erfurt* — *ingeantvvortet han* &c. 1461 *die Philippi Iacobi.*

n) *VVir* Diether, *E. z. M. bekennen, daß vvir den Edeln* Iohann *von* Isenburg, *Graven zu Budingen, vnsern lieben Bruder, vnd* Georg Rierefel, *Erbmarschalk zu Hessen, gefertiget han, von vns vnd vnsers Stifts vvegen, von den invvonern der Statt vnd Slosz zu* Fulda, Huneteld, Geisa, Rockenstul, Lutterbach, Felchberg, Bruckenaw *huldung zu empfangen* &c. *Aschaffenburg Montag post Petri cath.* 1479.

Conf. huc *Spenerum* op. Herald. parte speciali lib. 2 cap. 53 § 4 & 5 p. 775 & seq. *Imhof* notit. Procerum Imperii lib. 6 cap. 6 § 4 p. m. 406.

ad pag. 771

b) Margareta,
vx. *VVilhelmi*, Comitis *de* Cazenelenbogen.
occur. an. 1296.

Hermannus,
vx. *Lisa* de *Hohenfels*.

ARIVS,
einio-Münzenbergica.

us.
nsavienſis.

d) IOANNES,
e) *Prouiſor Abbatia Fulde*
f) † 1395 apud Confluentes ipſo
*d) vx. *Sophia*, Comes Werthe

h) IOANNES
† 1408.
h) vx. *Margareta*, Comes Cati

i) DIETHERVS
a Friderico III Comitis Büdingenſis titul
* †circa an. 1461 vel
i) vx. *Eliſabetha*, Comes

k) Ioannes,
factus Carthuſianus, & an. 1439 *Prior* nouæ Cellæ *in* Grünaw.
† 1463.

DIETHERVS,
Archiepiſ. Moguntin.

Bernhard
Eques Ordin. T

Ioannes,
Satrapa Biſchofsheimenſis.
miſſus an. 1479 *a fratre ad recipiendum a ciuibus locorum Fuldenſium Sedi oppigneratorum homagium.*

a) *Ludouicus* hic de *Iſenburg* anno 1265, conſenſu patris ſui, Canonicis Moguntinis pro 120 marcis quartam partem decimæ vini in tractu Bingenſi vendidit.

b) *Nos* Wilhelmus, *Comes iunior* de *Cazenelnbogen* — *quod nos conſulente Socero noſtro Domino* Ludouico *Domino* de *Iſenburg* &c. an. 1296.

c) *VVir* Luther, *Herr* zu *Iſenburg*, Henrich *vnſer* Son — *bekennen, daſs vvir den Edeln* Philips *vnd* Cunen, *gebrüdern, Sohnen Herrn* Cunen *ſel. vnſers Svvagers von Falckenſtein* &c. an. 1334.

d) *Nos* Conradus, *Præpoſitus, totusque Conuentus monaſterii in* Elwinſtadt, *Ord. Premonſtratenſ. Magunt. dioceſ. recognoſcimus tenore preſencium, publice profitendo, quod de eccleſia parochiali in* Rendele, *que per Nobilem Virum, Dominum* Henricum *de* Iſenburg, *Dominum* in *Büdingen*, *cum iure patronatus, quod ad ipſum ſpectabat, de conſenſu Domine* Adelheidis, *ſue legitime vxoris, Domicelli* Iohannis, *eorum filii ſenioris, & Domine* Phie, *eiuſdem legitime conthoralis, pro ipſis & heredibus ſuis, ob ſalutem animarum ſuarum nobis propter Deum eſt donata* &c. *Actum V Idus Decembris anno Domini MCCCLVIII.*

e) *VVir* Adolf *E. z. M.* — *vvan vns die Erbern* — Mertin *Dechant, vnd der* Convent — *des Stifts zu* Fulde, *mit den* Phlegern, *die der Ervv.* Conrad *Apte des vorgen. Stifts* — *über den Stift zu* Fulde, *mit namen Her* Iohan *Here* zu *Iſenburg vnd* zu *Büdingen*, Friderich, *Her* zu *Lieſperg* &c. *gekorn vnd genommen han* — 1382 *des nechſten Donreſtags vor S. Thomas tag des H.* — *E. z. M.* — *bekennen, daſs vvir den*

f) *Gensbein* faſtvig *von* Iſenburg, *Graffen* zu *Büdingen*,

g) *Ich* Diederich *Bruder vnd getruvven, zu vnſerm mit verhen Steinheim geſezt vnd gemacht han* &c. *bach, min* 8 Ian. 1460.
Hern zu *B* minicam *Quaſimodogenit.* Vid. Catalog. *vnd bevviſ um Moguntinenſium.*
fravv, die — *Ervvelter vnd Beſtetigter zu Menz* — *von* Iſenbur *anne, Burgmanne, Amptlude* — *vnd*

h) *VVir* Adolf *fft gemeynlich* — *gein Steinheim gehofruntſchaft, daſs vvir den Edlen* Ludewig *von* Iſen- *Edeln, vn en* zu *Büdingen*, Meigen *von* Naſſaue, *zenelnboge Husfrauvven* &c. *am Sontag nach Simo- Iſenburg vr* 463.
nant vnſer n Allenblumen — *mins gnedigen Herrn Dochter, v Proviſor zu Erffurt* — *bekenne, daſs Herr* zu *Iſe n* — Philips *von* Iſenburg, *Graf* zu *geben vnd g hum Herre, Graf* Sigmund *von* Glichen — *von* Iſenbu *rrn* Diethers *Biſchoflichen Hoff vnd Vor*elnbogen *ſic furt* — *ingeantvvortet han* &c. 1461 *zvviſchen Jacobi.*
verde. — *E. z. M. bekennen, daſs vvir den Edeln protomartyr* ſenburg, *Graven* zu *Büdingen*, *vnſern*

i) Cum *Helvvic*, *vnd* Georg Rieteſel, *Erbmarſchall zu* & ſectione 3 *iget han, von vns vnd vnſers Stifts vvecet Franciſc n invvonern der Statt vnd Sloſs zu* Fulda, que *Comite* Geiſa, Rockenſtul, Luterbach, Fiſchoſtendere, enavv *huldung zu empfangen* &c. *A*-
Quod igitur ad *Montag poſt Pentecoſt.* 1479.

Conf. huc *Spener*

Edit. I p. 875 ornarat, communem humanæ vitæ viam iniit pridie Nonas Maii & in SS. Petri & Alexandri collegiata eccleſia ibidem humatus.

1) Et quidem in choro; hoc epitaphio ei ſcripto: *Theodericus Pincerna ab Erbach, Archiepiſcopus Moguntinus, S. R. I. per Germaniam Archic. & Princeps Elector, Archiepiſcopatum iniit an. MCCCCXXXIV, prid. Non. Iul. adminiſtrauit annos XXIV, menſes X; reliquit, beata immortalitate fruiturus, an. MCCCCLIX, prid. Non. Maii. Requieſcit in hoc SS. Petri & Alexandri Collegio, quod impenſe coluit ſemper & dotauit, inter piiſſimos eccleſiæ fundatores tumulatus.*

2) Corrigendus ex his *Langius*, qui in chron. Citizenſi p. 866 anno MCCCCLVIII mortuum ſcribit.

DIETHERVS primum.

I

A quibusdam *Theodericus* vocatur, ſicuti & vocatus, qui anteceſſit. Eccleſiæ Moguntinenſis Cuſtos *, Comes de Iſenburg, ſeu de Büdingen, anno MCCCCLIX, die XX Iulii ** electus; a Pontifice tamen Pio II tunc non confirmatus †, quin MCCCCLXI die XI Kal. Septembr. ab illo dignitate iſta deiectus fuit, vt ex Pontificio patet diplomate, vbi & eius deiectionis cauſſæ variæ afferuntur.

ſtirpe fuit Iſenburgico-Büdingenſi.

1) Dietherus natus illuſtri Comitum *Iſenburgenſium*, familiæ *Büdingenſis*, ſtirpe. Pater ei fuit *Dietherus*, magnæ vir in aula Moguntina auctoritatis & dignationis. Egit enim ſupremum locorum Sedi in Haſſia ſubiectorum Præfectum ab anno MCCCCXXVII ad MCCCCXXX vſque. Anno MCCCCXXXVIII Conſiliariis fuit adſcriptus, & anno MCCCCXLVIII Satrapes in Buchonia conſtitutus: mater ei fuit *Eliſabetha*, Comes Solmenſis, *Othonis* & *Agnetis* Falckenſteinio-Munzenbergiæ filia; auus *Ioannes*, auia *Margareta*, Comitibus Catimelibocenſibus orta.

Maioris lucis cauſſa non piget, partem ſchematis genearchici, quæ huc facit, apponere.

* * * * * *

litteris initiatus, Erfurti in ſtudia incubuit,

ibidemque Rectorem egit academia.

2) Idoneis magiſtris in diſciplinam traditus, domi artibus, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari ſolet, imbutus: annis vero maturior Erfordiam, quæ tum hominum litteratorum affluebat copia, miſſus eſt, vt ingenium ingenuis excoleret diſciplinis, atque generis ſplendori litterarum conſociaret claritudinem. Vbi cum indies ad altiora virtutis quodam niteretur impetu, maturitate iam quadam doctrinæ ac ſapientiæ tempeſtiuus, dignus anno MCCCCXXXIV habitus eſt, qui faſces gereret academicos. *Dietherus*, ita *Gudenus* Hiſtor. Erfurtenſ. lib. II § XXII p. 134, *Comes de Iſenburg, litterarum ſtudiis operam hic nauans, hoc anno academiæ Rector præfuit, ac ſpecimen dedit, ſe dignum eſſe, qui olim imperaret.*

ad varios honores emerſit.

3) Locum in illuſtriſſimis metropolitanarum Moguntinenſis, Treuirenſis, & Colonienſis Collegiis cum inueniſſet, virtute ſua meruit, vt idoneus maxime haberetur ad honores & ampliſſimos magiſtratus gerendos. Theoderici ſane multos annos fuit a conſiliis, vt ex litteris, queis anno MCCCCXLVII die Aurei & Iuſtinæ officio huic renuntiauit, paret. * Dein Moguntiæ in Collegio maiori *Cuſtodis* dignitatem obtinuit anno MCCCCLIII, *Ioanni Flach* de *Schwarzenberg* ſucceſſor datus. *Helwichius* elench. nobilit. eccleſ. Mogunt. ſect. III p. 223. Præter quam & Collegiis ad *D. Victoris*, & *S. Ioannis* Præpoſitus fuit. Idem *Helwichius* de diſſidio Moguntino ſectione I § II p. 137. Illi quidem, poſt exceſſum *Henrici Ehrenfels*, iam anno MCCCCXLII, vt in catalogo Præpoſitorum *D. Victoris* notatum p. 622. Immo parum abfuit, quin anno MCCCCLVI, *Iacobo Sirckio* fatis functo, celſiſſimum Treuerici archiepiſcopatus culmen adſcendiſſet. Quippe a Canonicorum nonnullis in defuncti lectus locum. Nec alieno ipſe a titulis iſtis erat animo. *Ioanni* ſane, e Marchionibus Badenſibus, a ceteris expetito, haud parum Romæ faceſſiuit negotii. *Brouuerus* annal. Treuirenſ. lib. XIX § C & CIII p. 290 & 291; ex quo *Helwichium*, qui de diſſidio Moguntino ſect. dicta § III p. 137 plus forſitan affectui dat, interpreteris.

Treuiris a parte quadam Canonicorū Præſul fuit electus.

4) Quos Treuiris ambiit, Moguntiæ tandem conſecutus honores eſt. ** Dum vero

& tandem Archiepiſco-